
BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
XXVIII*
B
75
NAPOLI

XXVIII*
B
75


IOANNES RHODIVS
CIƆ IƆC XLVII

JOANNIS RHODII

DE ACIA DISSERTATIO

Ad

CORNELII CELSI

mentem

Qva ſimul univerſa FIBULÆ ratio explicatur,

Secundis Curis

Ex autographo Autoris auctior & emendatior, cum Judiciis Doctorum edita

à

TH. BARTHOLINO.

Accedit

DE PONDERIBUS ET MENSURIS

Ejusdem Autoris DISSERTATIO,

& Vita CELSI.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

HAFNIÆ,

Typis MATTHIÆ GODICCHENII,

Sumptibus PETRI HAUBOLDI, Reg. Acad. Bibl.

ANNO M. DC. LXXII.

SERENISSIMO CELSISSI-
MOQUE PRINCIPI

Dn. CAROLO LUDOVICO

PRINCIPI PALATINO
DUCI BAVARIÆ UTRIUSQUE
S. R. I. ARCHI-THESAURARIO
ET ELECTORI ETC.
ET
QUOD MAJUS EST,
MAGNO LITERATORUM
MECÆNATI
OMNISQUE ANTIQUITATIS
FAUTORI BENIGNO
THOMAS BARTHOLINUS
S. F. Q. P.

NOn peccavi in Virtutes Tuas, Sereniſſime Elector, qvibus univerſæ Germaniæ præfulges, & orbem Literatum Tibi demereris, qvod alieno opere, ab imperii gravitate remoto, ſtudia mea commendem. Ea qvidem eſt animi Tui magnitudo, ut non niſi ſumma qvævis placeant, qvæ Terrarum Dominos decent, inuſitata tamen ſummis faſtigiis facilitate, ad minima ſubinde Te demittere infra dignitatem non reputas qvæ ſerioribus laſſatam mentem delectant. Antiqvitatis reverentia omnibus innata eſt, qvi veterum exempla legunt ut meliora ſeligant, ſuis moribus & inſtitutis accommodata. Tibi qvidem peregrina veterumqve exempla foris qværere neceſſe non eſt, cui domeſtica ſuppetunt, nec repetere ea à majoribus ſeculisqve qvæ præceſſerunt, qvia tanta ſapientia & rerum Principe dignarum ubertate pectus inſtructum habes, ut exemplo ſis poſteritati. Neſcio tamen qva dulcedine veterum rudera & antiqvitatis reliqviæ ſe curioſis commendent, qvan-

qvam

qvam regendi vivendiqve normam à prioribus ſeculis non tam petant cordati, qvam illuſtrent. Levis videtur Acia, qvam offero, & tenue argumentum, cui legendo ocia perdas; rerum tamen meliorum ſecum momenta trahit, qvæ doctorum ingenia fatigant & induſtriam. Celſo inprimis, Principi Latinorum Medicorum, facem præfert, Medicisqve & Chirurgis, qvi in curandis vulneribus occupantur. Nec Civilis illa Architectonica & Veſtiaria Fibula ad uſus civiles pretium ſui amittit, ut mixtam alteram, qvam peculiariter Gymnaſticam ſive Comicam vocarunt, prætereàm, de qvibus ſollicitos ſcimus eſſe Eruditos, in veterum ſcriptis ingenioſos. Nunqvam faſtidivit Palatina Tua Aula & Academia tot invidendis exemplis conſpicua, Antiqvitatis & amœniora Philologiæ ſtudia, nec inter viles habuit Medicos qvi felici copula artem curandi cum Antiqvitate bonisqve literis conjunxerunt. Magna nomina tacitè veneror, qvæ benigne in gratia Tua eſſe pateris. Non hæc extra Te qvæſivero, qvi

omni sapientia & variæ doctrinæ genere excellis, ut parem hac ætate Principem Germania non viderit. Ipse Pallas Musis Tuis præes, & Phœbus terras Tuas illuminas, placido Rheni alveo, Te Principe, beatas. Hac ævi sorte animatus gratam fore Fibulam auguror à Medico Polyhistore Jo. Rhodio nostro ex Antiqvitate adumbratam, & secundis curis à me iisdem sacris immerso illis augmentis editam, ut novi operis splendore Augustum Tuum limen, spe gratiæ singularis, adire ausit. Auxit fiduciam gentis nostræ amor, Palatinæ familiæ insitus, novoqve fœdere nuper firmatus, ut Daniæ nostræ ingenia non dedigneris, Tuo genio litantia. Publicæ sunt causæ qvæ me officii debiti admonent. Cum universa patria solennibus gratulationibus occupata pro incolumitate Serenissimi Tui Filii, Principis Electoris CAROLI, Augustissimi Regis nostri Sororii, vota nuncupet, nostræqve Academiæ Orator, Reipublicæ Literariæ nomine submissa Panegyri benè tantorum Principum conjugio precari jussus sit,

inter

inter omnium applausus mearum partium esse duxi, chartaceo hoc donario acclamare feliciter, & Celsissimæ familiæ Palatinæ, fausta Regiæ Sponsæ accessione, auspicatæ felicitatis apprecari perpetuitatem. Nec inconveniens solennitati Fibula venit, qvæ non vestes jungat Sponsales, sed vulnera patriæ Excessu Augusti nostri Divi FRIDERICI TERTII illata conglutinet, sed familiam utramqve Augustissimam æterno vinculo infibulet, & Amantium corda sinceri amoris filo nectat, sed me, Regiæ Academiæ purpura vestitum, velut laciniam Augustorum benevolentiæ assuat. Non metuo repulsam. Pignora apud Te, Elector Serenissime, deposita fidentem faciunt, ut etiam sine Fibula, sim securus. Patriæ nostræ delicium, Juno ipsa, Jovi Suo juncta, pro subjectis intercedit. Individua illa Principum copula nos erigit, ad obseqvium natos & cultum. Accedit privatus in Palatinam Vestram Urbem affectus, qvæ beatos cineres fratris JACOBI BARTHOLINI, in peregrinatione suscepta Heidel-

bergæ

bergæ olim defuncti, Ecclesiæ suæ Cathedralis sinu condit, partemqve mortalem, qvæ dissolvi potuit, sibi addidit perpetuo molliqve hospitio fovendam. Qvi vivos mortuosqve nostros tanta indulgentia amplecteris, victurum hoc etiam post fata Danorum Opus, Tua gratia dignare. Publica Tua erit gloria, qvam seri Nepotes cantabunt. Nobis vota relicta sunt. Deus auspicatissimum Serenissimorum Conjugum Novorum Conjugium, qvo federata utriusqve familia in seculorum solatium coaluit, clementer fortunet, Teqve, Elector, æterna Augusto nostro amicitia junctum conservet. Hafniæ XX. Octobr. clↃ IↃc LXXI.

TH. BARTHOLINUS
Antiqvitatum Studioſo S.

SI fata ſuſceptis laboribus adſpiraſſent, Celſum ipſum, Latinum Hippocratem, Commentariis meis Medicis & Philologicis illuſtratum, Tibi exhibuiſſem. Illud qvippe negocium mihi imponi paſſus ſum, adjutus Variis Lectionibus & Lexico Rhodii noſtri Clariſſimi, qvi morte præventus promiſſam Celſi editionem, toties ab Eruditis deſideratam abſolvere non potuit. Cæterum cum ad finem properarem, ad umbilicum pene perductis Notis noſtris, prædium meum Hageſted, cum aula & meliore librorum uſibus qvotidianis inſervientium parte, me negociorum cauſa abſente, funeſtis flammis conflagravit, ut ex ſelecta librorum & bonorum ſuppellectile, præter cineres redeunti nihil ferè relictum ſit. Dolui qvidem ingentem rei familiaris jacturam, magnis impenſis ſerò redimendam; ſed Opera mea tot annorum lucubrationibus conſcripta, & ad prælum matura intercidiſſe, publico damno, gravior luctus eſt. Inter qvæ Cornelius Celſus ad lucem properans ruinæ communi involutus effugere non potuit Libitinam, ut ſilentio prætercam Antiqvitates Puerperii, Anatomen Practicam & Paganam, demorſos

ungves ſapientia alia, de qvibus iu Diſſertatione ad Filios De Bibliothecæ Incendio, conqveſtus ſum tantæ pœnæ patuiſſe.

Ergo tam doctæ nobis periere tabellæ,
Scripta qvibus pariter tot periere bona.

Sic erat in fatis, ſortem pati oportuit, qvam alii non recuſarunt, ne forſan varia eruditione, ad illuſtrandum Autorem collata, nimium mihi blandirer, vel laudem eam illis præriperem qvi poſthac operam huic Medicorum Principi ſunt daturi. Apud me ſanè ſpes illa decollavit. Celſum enim in manus reſumere, fruſtranei operis eſſe exiſtimo, niſi me tanqvam Peliam recoqverent Superi, ſupereſſentqve præteriti anni ad evolvendos nova peregrinatione omnium Bibliothecarum Codices Manuſcriptos, qvos multorum annorum curſu & immenſo labore beatus noſter Rhodius, amicorum qvoqve qvos ubiqve magno ſuo merito magnos habuit auxilio, collegit nobisqve reliqvit. Qvanqvam verò mihi conferendi & ſcribendi tædium ex infauſto ſiniſtræ fortunæ ictu obrepſerit, committere tamen non volui, ut priſtini laboris memoria prorſus obliteraretur. Sciant igitur poſteri, condoleantqve ſuperſtites, ad qvos mea fata mitto, voluiſſe me multa & ad Autorem ſuo nitori reſtituendum potuiſſe plura, ſed injectis à Vulcano, claudo furcifero, manibus ab inſtituto retractum, ut deſtinata publico commodo perficere non licuerit. Surgant alii & contra invidiam fatorum luctentur felicius, qvi fortunam ſuam ſtantem vident. Nos dejecti ſi-

ſtimus

ſtimus gradum, cedimus locum, digito calamoq́ve æterno notantes:

Ilium eſt illic, ubi fumus altè
Serpit in cœlum, nebulæq́ turpes.

Ut poſtremam Autori benè merito voluntatem teſtemur, ne prorſus à nobis videatur deſertus, minimam ex illo particulam recolimus, Aciam nempe, ſeu Fibulam, de qva inter Eruditos dubitatum, an ex mente Celſi filum fuerit molle, vel operis metallici. Arbiter controverſiæ conſtitutus Jo. Rhodius noſter, Medicus pariter & Philologus hoc ſeculo ſummus, univerſam hanc rem & qvicqvid ad Fibulam veterem ſpectat, Diſſertatione erudita pertexuit, animatus à magno Daniæ Cancellario Dn. Chriſtiano Friſio de Kragerup, illuſtri ingeniorum optimorum Cenſore & Mecænate, cui etiam Diſſertationem inſcripſerat, ſed morte interveniente nunqvam oblatam. Cumq́ve argumentum ex diffuſæ eruditionis penu egregiè concinnatum, Doctiorum palato arrideret, primam editionem Patavii 1639. procuratam, augere cœpit, ſuisq́ve locis addidit qvidqvid vel à ſe indefeſſa lectione obſervatum, vel ab amicis, qvi undiqve ſuppetias tulerunt, communicatum illuſtrando operi inſerviret, ut tot additionibus & iconibus aucta, qvaſi nova prodiret in publicum. Fibulas complures hinc inde erutas collegit, & Antiqvitatis omnis, cujus erat ſtudioſiſſimus, loculos excuſſit. Symbolam nos qvoqve contulimus, ut de Autore intima amicitia conjuncto & publico benè mereremur, qvæq́ve deſiderari

videbantur paſſim data occaſione ſupplevimus, nacti exemplar ipſius Autoris manu emendatum auctumqve, qvod inter Conſobrini Thomæ Fuirenii reculas ſervabatur. Non privatum hoc bonum eſſe volui, ſed publicum. Eo qvippe animo beatus Rhodius, me Patavii olim præſente, ad libri ſui oras multa notavit, ſecundæ editioni addenda, qvam nunc tandem laudati Fuirenii beneficio typis in utriusqve patria Urbe ſubjicimus. Gratum fore curioſis ſperamus Antiqvitatis hoc Supplementum, qvod neqve utilitate ſua caret in arte medentium manuaria. De Acia & Fibulis Antiqvorum reliqvit qvoqve Librum Claudius Salmaſius, ὁ πάνυ, referente Antonio Clementio in Vita ipſius. Cujus meminit Epiſtola XLV. Sed dolendum qvod hucusqve publicè non comparuerit, neſcio cujus culpa vel invidia. Ubiqve magnum ingenium & lectionem immenſam oſtendit, ut dubium non ſit multum lucis Fibulæ antiqvorum ab illo eſſe allatum, præſertim cum Nicolaum Fabr. Peyreſchium Senatorem Aqvis Sextiis Ampliſſimum & benignum Literarum fautorem, plures Fibulas Salmaſio miſiſſe teſtis ſit Petrus Gaſſendus in ejus Vita Libro V. Paſſim qvippe Fibulæ in Pinacothecis oſtenduntur, qvæ huic inſtituto inſerviant. Varias habuit Abrahamus Gorlæus, narrante Everhardo Vorſtio in Epiſtola qvam Dactylothecæ præmiſit. Apud nos in tumulis nonnunqvam cum ſtilis, urceis, pugionibus effodiuntur veteribus uſitatæ. Fibula balthei maxima, qvam Gigantum credunt, penes me ſervatur, cujus in Centuria Prima Hiſtoriarum men-

mentionem feci. Romæ, Antiqvitatum promptuario, non paucæ mihi fratribusqve obvenerunt, huic Operi qvoqve insertæ. Ingentem copiam Noviomagi habet Joannes Smetius Ecclesiastes Doctissimus, ex auro, argento & ære, qvarum icones & descriptionem non gravabor, ad Operis perfectionem, hic adnectere.

Ex Addit. ad CAP. IV. de Oppido Batavorum JOANNIS SCHMIDT.

Fibula veterum, uno anulo constabat & acu, qvæ lora atqve alia annulo immissa transfigendo sibi connectebat. Hujus formas magnitudine varioqve ornatu diversas, ex auro, argento & ære aliqvam multas dare possem, sed ista tralatitia hodie adhuc vulgo nota & in usu est.

Alia fuit Comœdorum, qvam vetus Juvenalis Glossator generali voce circellos vocat, de cujus reliqviis aliqvid forte apud nos qvoqve superest.

Tertia qvæ cum secundâ hodie obsolevit, meritoqve inter deperdita numeratur, orbe vel arcu pro annulo ita constabat, ut acus chordam, pars superior arcum referret; hæc vestem fluctuantem stringendo plurimum subnectebat, ejusdemqve freqvens olim, in togæ supra humerum connexione usus fuit. Ex hoc genere argenteas, ferreas & æneas habeo, atqve ex istis inauratas, deargentatas, notis argenteis punctas, gemmis, vitro variaqve incrustatione insignes.

Pars Fibulæ inferior seu acus, in omnibus simplex & pura, aut ductilis est, aut pendula. Ductilis

ex arcu continuato ductu reflexa, extremitate qvâ in cuſpidem deſinit, intra cavitatem ſeu canaliculam conatu niſuqve aliqvo adigitur, rurſumqve cavitate exempta ſponte ſuâ ab ea reſilit. Pendula ferè ſuperiori parti claviculo circa qvem volvitur inſerta eſt, lamellaqve ſeu hamo qvodam & retinaculo aucta, qvo ei firmioris adſtrictionis cauſa obnitatur. Acus tamen nonnullas videre eſt, qvibus arcus ſeu pars ſuperior immittitur, & benè multas, qvæ lamellâ carent, ut qvibus arcus ipſe craſſior atqve altior, lamellæ iſtius vicem præſtat. Acus in plerisqve recta eſt, in paucis obliqvata, in omnibus cuſpidata. Qvæ cauſa eſt, ut non auſim, qvod aliis placet, adſerere, Fibulam ita veſtes adſtrinxiſſe ut nunqvam transfixerit.

Pars Fibulæ ſuperior qvæ acum tegit, exteriore ſui parte vel uniformis eſt, vel multiformis. Uniformis in longum porrecta, filo tereti vel qvadrato arcuatur. In plurimis uno, in qvibusdam binis aut ternis arcubus Parallelis conſtat. In latitudinem extenſa circularis, ovalis, triangularis, qvadrata, Parallelogramma, Rhomboides, ex rotunda tetragona, hexagona eſt, &c. Ex iſtis ſunt incruſtatæ, diverſis coloribus, orbibus, qvadris, rhombis, areolis, nodulis, ſtellatis, ſcutulis, ſulcis, ſtriis, emblematibus, &c. variegato, teſſellato, vermiculato & muſivo opere hodie vix imitabili admirabiles. Sunt & aliæ effigiatæ diverſis figuris leonis, eqvi, bovis, hinuli, oviculæ, lepuſculi, cuniculi, piſcis, viri cum urſo depugnantis: Aliqvæ littera-

rum impreſſione & cælatura ſignantur. In rotundis ſunt planæ, umbilicatæ atqve aliæ orbibus, foraminibus, multifariisqve foraminum flexibus ſpectabiles, qvæ rotas & innominatas luxuriantis artis formas æmulantur.

Qvæ multiformis eſt, variat ſecundum tria ſegmenta, ſupremum, medium & infimum, in qvæ non incommodè ſubdiſtingvi poteſt, ut arcus in ſua cornua & medium ſinum. Segmentum ſuperius voco, qvod commiſſuram arcus cum acu continet. In commiſſuris, acus qvædam ex ductilium ordine qvater, ſexies, octies, decies, ſepiusqve (eſt qvæ vicies qvinqvies) in gyros curvatæ ſecundum Fibulæ latitudinem porriguntur. Hoc ſegmentum præter ſcutulorum, globulorum variumqve ornatum, inter alia annellis foraminibusqve ita qvibusdam Fibulis aptatum fuit, ut ex illo Fibula veſti alligari vel appendi potuerit. Sunt, in qvibus arcus & acus ſupra primam commiſſuram diverſim reflexæ, contrario niſu iterum inter ſe committuntur, ut imæ partis ſtrictura ſit arctior. Segmentum infimum eſt qvod cavitatem ſeu canaliculam & tegit & continet, cui acus cum Fibulæ uſus eſt immittitur. Hoc globulis, annellis, nodulis, in qvibusdā aut munitum aut ornatum viſitur. In capita piſcium, aliorum animantium nonnunqvam deſinit. Canalicula cavitatis longitudine, latitudine, profunditate, perforationibusqve variat. Sunt Fibulæ in qvibus filum æneum, ex interiore arcus cavitate, levi inclinatione ſponte delabens, immiſſam canaliculæ acum ob-

jectum

jectu ſuo claudit. Segmentum medium, ſeu arcus inter cornua ſinuatus, omnia ea admittit, qvæ de toto arcu uniformi modo diximus, in qvibus ars veterum modum non habet. Inter centum qvinqvaginta circiter harum Fibularum formas (raſiles qvæ ſimpliciſſimæ atqve absqve ornatu fuerunt, iſtis non adnumero) vix unum par geminum invanio. Ne res qvenqvam Fibularia obſcuritate ſue offendat, typum aliqvot Fibularum dabo.

A. Fibula pura ſeu raſilis, ſed adſtricta, in qva
b. acus eſt.
c. Arcus.
d. Sinus medius.
e. Segmentum ſuperius ſeu commiſſura, nodus.
f. Segmentum inferius, qvod canaliculum vel calyculum ſeu uncum continet, qvo acus conditur.

B. Eadem Fibula ſed laxata, in qva, ut & in F. G. N. & O. acus ductilis.

C. Fibula acu pendulâ, ut & E. & M. g. retinaculum acus.

D. Argentea qvæ eadem interraſa, ut & E. H. K. L. & O.

Interraſæ ſimul & incruſtatæ ut E. I. K. L. & Q.

F. In partis anticæ umbilico palæ inſtar gemma viridi inſignis, areis duabus exterioribus deaurata eſt.

Parte poſtica acum exhibet.

I. Fibula eſt Muſivi operis in cujus ſingulis teſſellis, ſex & triginta aliæ teſſellulæ, coloribus cœruleo & albo diſtingvuntur.

M. Hæ-

M. Hædulus deauratus postica hic parte acum ductilem habet, anticâ incrustatione ornatur.

N. Fibula cujus filum, qvinqvies & vicies arcuatur.

P. Fibula qvæ supra commissuram reflectitur.

Q. Fibula minuta, aurea & incrustata.



G




H


I



K


L


M


N


O


P


Q

Adjun-

AD LECTOREM.

Adjungere his placet alias Fibularum antiqvarum icones, in Rhodii Opere omiſſas, qvas ad ſuos poſſeſſores gratus refero.

I. Jo. Bapt. Caſali.



II. Eadem Fibula illigata.



 III. Jo-

III. Joannis Lazaræ Patavini Comitis superior.



IV. Ejusdem Fibula inferior.



V. Jo. Bapt. Casali.



VI. Olai Wormii Fibula Vestiaria.




VII. Joac. Elsneri Medici Uratislaviensis.



Non

VIII. Fibula magna Gigantea in Dania eruta, qvam in Muſæo meo ſervo, beneficio D. Jacobi Matthiæ Arhuſii, Epiſcopi olim patriæ Vigilantisſimi, Sororii noſtri.



 * Non

IX. Fibula elegans minor, qvam Romæ nactus ſum, ſine acu.



Non faſtidiat Lector, antiqvitatis reverentia tam multa ſæpius hic de Fibula afferri.

Sæpius in libro memoratur Perſius uno,
Qvam levis in tota Marſus Amazonide.

Imperitorum judicia nos non morantur. Judicent curioſi Antiqvitatum Fautores, qvanta his ſacris myſteria inſint. Neqve enim vanis frivolisve ſtudiis tot præclara ſeculi ingenia inſudarunt. Proſunt iſta & delectant, nomenqve Autoris noſtri æternitati, velut Fibulis nexum, conſecrant. Vale, Hafniæ XXI. Octobr. cIↄ Iↄc LXXI.

Ad

Ad
Venerandum Parentem,
THOMAM BARTHOLINUM,
Cùm
Cl. RHODII Dissertationem
DE ACIA CELSI
Auctiorem & emendatiorem
ederet.

DUm veterem revocas ACIÆ, Pater inclute, lucem,
Et relegis Clari scripta sepulta Viri;
FIBULA Te famamqve Tuam connectit Olympo,
Et Tibi par CELSI nomine nomen erit.

CASPARUS BARTHOLINUS
THOMÆ Filius.

INDEX CAPITUM.

V. FI-

Jo.

Jo. Rhodius
LECTORI BENEVOLO.

QVi duraturum ſeculis opus moliuntur, pleriq; vel ejus magnitudine ſuccumbunt, vel, ſi eidem ſufficiunt, ingenii libidine propoſitum ſibi finem transgrediuntur. Illud qvidem famæ diſcrimine, hoc judicii. Alterutrum mihi ne contingeret, cœptam alieno qvàm meo veriùs conſilio telam defunctoriè pertexere malui, qvàm moroſè nimis omnia conſectari, qvæ πολύμιτον *hoc argumentum poſtulare videbatur. Hinc tam inopinata, qvàm protrita, parum grata animo meo fuerunt. Recentiores etiam,*

primi apud Romanos Medici conſilio, in his defraudare iniqvum duxi, qvæ vel repererunt, vel rectè ſecuti ſunt; & tamen ea apud antiqviores poſita auctoribus ſuis reddere ſtudui. Eruditionis teſtimonium ſi non merentur iſtæc, benevolentiæ ſaltem petunt, imò exſpectant. Qvam ſi libens præbueris, hæc talia erunt, mi Lector, qvalia favendo volueris; fortaſſe meliora, niſi Amici ea, qvibus mora utilior erat, penè convicio in lucem traxiſſent.

Jo. Rhodii
De Acia
Dissertatio.

Cap. I.

Scriptionis Occasio.

VEre ac prudenter Senex apud Comicum: *Terent. Adelph. Act. 5. Sc. 4.*

Nunqvam ita qvisqvam benè subductâ ratione ad vitam fuit,
Qvin Res, Ætas, Usus, semper aliqvid adportet novi,
Aliqvid moneat: ut illa, qvæ te scire credas, nescias;
Et, qvæ tibi putâris prima, in experiundo repudies.

Etenim *nulla res magna non aliqvod habuit ruinæ suæ spatium. Certis eunt cuncta temporibus, nasci debent, crescere, exstingui.* Nec tantùm *corpora nostra rapiuntur fluminum more:* Voces etiam cum rebus caducæ; verborumqve volantium non minùs qvàm hominum fata volvuntur. Experimur nempe qvi inter peritura vivimus, qvantâ rerum caligine obtenebretur qvotidiè animus ad divina formatus, non tam sui imbecillitate, qvàm obscuritate rerum, in qvas penetrare nititur. Nec sanè alia de causa, qvàm qvòd *Sen. Ep. 91. 71. 58.*

vetustas obliteratis primis inventoribus eas hominum notitiæ subduxerit. Qvid mirum?

Auson. Epigr. 35.

Mors etiam saxis nominibusq; venit.

Etsi verò, ut in Argumento lib. 5. Hippocratis de Fractur. eruditè Galenus, aliud reverâ OBSCURUM sit; aliud ob id præcipuè, qvòd multa sint Auditorum genera: nihil tamen naturâ etiam perspicaces ac eruditos magis fatigat, qvàm vocum ex affinitate Ambiguitas. *Communia enim Nomina*, ait idem, *auditorem confundunt. Fallunt etiam verba, vel regionibus qvibusdam magis familiaria, vel artium propria.* Hinc nata nobilis inter Viros in Hispania celeberrimos de ACIÆ Materia qvæstio Medicorum magni nominis ingenia ætate nostrâ variè exercuit. Et licet ea disputatio nondum in manus nostras pervenerat, dum tamen Latinorum Medicorum Principi Cornelio Celso, qvâ licuit industriâ, ad Bibliothecæ Vaticanæ, Venetæ, Florentinæ, Mediolanensis, Urbinatis, aliorumqve melioris notæ codicum calamo scriptorum fidem restituto, breves in abstrusiora ejus loca Notas per otium meditor, en meas qvoqve cogitationes, non rei novitas, nec dissentiendi libido, sed unum veritatis studium, in difficillimæ hujus rei investigationem compulit. Verba CELSI ex Codicibus emendatioribus hæc sunt: *In his verò qvæ glutinantur duplex curatio est. Nam si plaga in molli parte est, sui debet, maximeq; si discissa auris ima est, vel imus nasus, vel frons, vel bucca, vel palpebra, vel labrum, vel circa guttur cutis, vel venter. Si verò in carne vulnus est, hiatq;, neq; in unum oræ facilè attrahuntur, sutura qvidem aliena est. Imponendæ verò Fibulæ sunt* (ἀγκτῆ-

Gal. de Diffic. Respir. Lib. 1. C. 2. Qvintil. Inst. Orat. L. 8. C. 2.

De Re Medica L. 5. C. 26.

(ἀγκτῆρας Græci nominant) qvæ oras (paulum tamen) contrahunt, qvò minus lata posteà cicatrix sit. Ex his autem colligi poteſt, id qvoq; qvod aliâ parte dependens, aliâ inhærebit, ſi alienatum adhuc non eſt, Suturam, an Fibulam poſtulet. Ex qvibus neutra antè debet imponi, qvàm intus vulnus purgatum eſt, ne qvid ibi concreti ſangvinis relinqvatur. Id enim & in pus vertitur, & inflammationem movet, & glutinari vulnus prohibet. Ne linamentum qvidem, qvod ſupprimendi ſangvinis causâ inditum eſt, inibi relinqvendum eſt. Nam id qvoqve inflammat. Comprehendi verò Suturâ vel Fibulâ non cutem tantùm, ſed aliqvid etiam ex carne, ubi ſuberit hæc, oportebit, qvò valentiùs hæreat, neqve cutem abrumpat. Utraq; optima eſt ex Acia molli non nimis torta, qvò mitiùs corpori inſidat. Utraq; neq; nimis rara, neq; nimis crebra injicienda eſt. Si nimis rara eſt, non continet. Si nimis crebra eſt, vehementer afficit: qvia qvò ſæpiùs acus corpus tranſuit, qvoq; plura loca injectum vinculum mordet, eò majores inflammationes oriuntur, magisq; æſtate. Neutra etiam vim illam deſiderat: ſed eatenus utilis eſt, qvâ cutis ducentem qvaſi ſuâ ſponte ſubſeqvitur. Ferè tamen fibulæ latius vulnus eſſe patiuntur. Sutura oras jungit, qvæ ne ipſæ qvidem inter ſe contingere ex toto debent, ut ſi qvid intus humoris concreverit, ſit qvà emanet. At enim filo hic opus Ariadneo, cujus ductu de perplexis Labyrinthi flexibus ſeſe feliciter ſententiæ incerti expediant. Qvis verò ductor Galeno doctore tutior, qvi in uſu Nominum claritatem qvaſi metam proponit: in qva præcipuè doctrinæ vis eſt. Qvam qvidem ab ipſis qvi ea impoſuerunt petendam rectiſſimè præcepit idem.

Meth. Med. L. 2. C. 1.

Ib Lib. 1. C. 5.

Ad Thraſyb. C. 32.

idem. Hoc verò qvanti ſit uſus ac judicii, declaravit Arrianus de Epicteti Diſputationibus Lib. 1. Cap. 22. παιδεύεσθαι ἐστὶ; μανθάνειν τὰς φυσικὰς προλήψεις ἐφαρμόζειν ταῖς ἐπὶ μέρους οὐσίαις καταλλήλως τῇ φύσει. *Erudiri eſt, diſcere notiones naturâ inſitas rebus ſingulis accommodare naturæ congruenter.* At qvoniam officium interpretandorum Autorum Grammatici non eſt, ſed ſapientis, pro cujusqve rei captu: non malè cenſet Magiſter *de Nominum rectitudine diſputare Dialectici eſſe; Rhetorum, & Grammaticorum inſpicere, Nomen an in uſu ſit.* Compendio tamen qvandoqvidem *ſtudendum Nominibus tantum, qvantum ad illuſtriorem ſignificationem eorum qvæ dicimus, ex illis juvari poſſis. De Nominibus enim pugnare, neq; ullum hic modum facere, & multum laborare, ſolidosq; implere libros maximos hiſce præſtigiis, nec neceſſe eſt, nec par, nec veniâ dignum videtur.* præſertim, qvoniam *omnino ad rerum cognitionem nihil Nomina referunt, tantùm ad docendum conferunt.* Igitur *juſtum eſt, ut obſcura Nomina in dubio relicta inutilia reputentur, perinde ac ſi nunqvam ſcripta fuiſſent: qvæ verò clara ſunt, judicentur non RATIONE tantùm, ſed multo etiam præcedente EXPERIMENTO.* Sermo enim ex Qvintiliani decreto conſtat Ratione, Venuſtate, Autoritate, Conſvetudine. Hiſce ego adductus non tam eorum ſententiæ adhærebo, qvi literaturæ caſtigatiori, qvàm qvi valetudini tuendæ, præſunt. Siqvidem non aliunde qvàm ex opinione par eſt naſci controverſiam. Cujus ſcrupulum ut commodiùs eximam, ſummatim delibatâ per ſingula capita aliorum ſententiâ, Galeni conſilio cujusqve rei Differentias.

Jul. Scalig. de Cauſ. Ling. Lat. L. 1. C. 1.

De Diebus Decretor. L. 1, C. 4.

Comm. 2. T. 39. Progn. Hipp.

De Pulſ. Differ. Lib. 3. C. 1.

Ib Lib. 1. Cap. 1.

De Loc. aff. L. 2. C. 7.

Inſt. Orat. L. 1. C. 6.

De Differ. Pulſ. Lib. 3. Cap. 1.

qvot ſint numero, qvalesqve ſpecie, pro meis viribus rimabor. Neqve aliter exigit vocum ratio, qvæ dubiâ primo conſpectu Celſi oratione graviſſimæ liti, necdum literatis conteſtatæ, opportunitatem ſuppeditârunt. Nolo tamen hîc divinando liberiùs dubiis conjectationibus pondus addere. Medici plerunqve mihi partes depoſcam, Philologi ſæpiùs; nec qvandoqve pigebit Galeni exemplo Grammatici perſonam ſumſiſſe; interdum Antiqvitatis memoriam breviter colligam, non affectatâ ſermonis diligentiâ, eo ordine, qvem impetus dederit; ut firmato diſſenſionis ſtatu, pro ea parte æqvi rerum arbitri pronuncient, qvæ amiſſum verbi uſum à fugientis ævi injuria noſtro ſæculo vindicaverit. Animo interim hæreat aureum Philoſophi monitum: τὸ ἀκριβὲς οὐχ ὁμοίως ἐν ἅπασι τοῖς λόγοις ἐπιζητητέον, οὐδὲ ἐν τοῖς δημιουργουμένοις. *Exacta tractatio non ſimili modo in unoqvoq; genere exqvirenda eſt: qvemadmodum neq; in Artium opificiis.* Ethic. Nicom. Lib. I. Cap. 3.

CAP. II.

Totius inſtituti ſumma.

QVæ verò tantæ de vocula contentionis neceſſitas? Satiúsne eſſet, Nominibus neglectis Galeni præcepto tempus ſupervacuum ad ſtudium rerum meliorum conferre? Audi Stoicæ Sapientiæ inter Latinos Principem: *Hoc puta rerum naturam dicere. Iſta, de qvibus qværis, omnibus eadem ſunt. Nulli dari faciliora poſſunt, ſed qvisqvis volet, ſibi ipſi illa reddet faciliora.* Opus hercle arduum. Neqve enim

De Anat. adm. L. 6. C. 13. Com. 2. T. 39. Progn. Hipp. Sen. Epiſt. 91.

De Ling. Lat. L. 4. de re levi, ſed de uſu, maxima lis eſt. Etſi enim nihil filo exilius, qvod ſecundùm Varronem minimum in veſtimento hilum: eo tamen hîc erit loco, ut non minimum ſibi vindicet in ſanandis vulneribus. *Meth. Med. L. 4. C. 4.* Qvorum Methodum licet tradendam potiùs cenſuerit Galenus, qvàm de nominibus anxiè contendendum: id tamen ſine exacta vocis notitia vix Medico integrum erit. De Acia collato pede certatur, duce Romano primi ordinis Cornelio Celso, cui & hujus rei & ſeculi illius reliqviæ debentur. *Operat. Chirur.* Controverſiæ hujuſce cauſam Materiæ diverſitati in Fibula potiſſimam rectè adſcripſit Hier. Fabricius ab Aqvapendente, cujus item varia ſpecies eſt, plerisqve non minus ignota ac Materia: ſolus autem, qvi eruditis innotuit, Uſus, ſingulis cujuscunqve generis communis, utramqve hic diſcernit. Nimirum qvælibet ſui generis ſeparata conſtringere. Qvoniam itaqve propter raritatem de Fibula inter Autores parum conſtat, ac ferè voce tenus; nomen ejus, conſilio veriùs qvàm caſu, non unius ſenſus, jure primum diſputationis locum occupat. *Qvod enim*, ut alicubi Philoponus, *maximè rem cauſamq; continet, illud eſt, ut Nominis communio, qvam Æqvivocationem dicimus, diſtingvatur atq; explicetur.* *Galen. de Hippocr. Placit. L. 4. C. 3.* Ideoqve *ne qvidqvam aliorſum ac dictum fuerit accipiatur, ſed omnia in promptu ſint definita atq; explicata, maximè neceſſarium videtur eſſe, ut accuratè ſingula Nomina qva de re dicantur, in præſentia definiamus.* Sed Medicorum arbitrio potiùs, qvibuscum hîc ratio eſt, qvàm Grammaticorum, qvi Nominibus dum ludunt ſæpè ludun-

duntur ipsi, nec tam ex usu, qvàm appellatione, de vocum convenientia judicium ferunt.

CAP. III.

FIBULÆ Notatio, Descriptio, ac Differentiæ.

CEterùm, qvoniam suæ de ACIA opinionis fundamentum ponunt omnes Fibulam, qvam ipsa ex parte constituit; qvænam hæc fuerit, prius dispiciendum, qvàm ACIÆ notitiam proseqvamur. FIBULA igitur vox origine Latina, Sabinis olim *Fifula*, teste Clariss. Jo. Meursio, ab antiqvo *Fibo*, qvemadmodum à Synonymo ejus *Figo* veteribus *Fixula*, apud Festum, & notante doctissimo Isaac. Casaubono *Figula*, appellationem habet; vel à findendo, ut derivatione satis longinqvâ refert Jul. Scaliger, *qvasi findat illud, qvod perforat:* qvidqvid de Græco φίβλη à Ligando post Isidorum commenti fuerint Hugutio, Papias, ejusdemqve ordinis cæteri; qvod Æmilius Portus, eruditis ad Suidam Notis verius Latinum agnoscit. Ea universè qvodvis notat instrumentum connexioni aptum; unde & Columellæ *Fibulari* idem qvod jungi. At sigillatim qvemadmodum ratione Usus Materiâ & Formâ distingvitur, sic etiam Nomine. Altera Simplex est, altera Mixta. Simplex, Civilis, aut Medica. Civilis in Architectonicam, & Vestiariam dividitur; Medica in Anatomicam, & Chirurgicam. Mixta eximiè Gymnastica sive Comica vocari potest.

Exercit. Critic. Par. I. C. 5. & Part. 2 C. 3. Treb. Poll. 207. p. 18. Exerc. 329. Orig. Lib. 19. C. 33. De re rust. Lib. 1. C. 6.

CAP.

Cap. IV.

Fibula Architectonica, ejq; cognatæ tanguntur.

UNius autem vocis qvum una tantùm significatio sit propria & princeps, ceteræ aut communes, aut accessoriæ, aut etiam impropriæ; ex harum, qvas modò recensui, numero Analogiæ ratione agmen ducit ceterisqve facem qvasi præfert ARCHITECTONICA; cujus expresse meminit Vitruvius Lib. 1. Cap. 5. & Lib. 10. Cap. 2. ad qvam reliqvæ omnes reducendæ. Eaqve Lexicographorum vulgo Ferramentum est, qvo tigna conjunguntur. Qvod etiam comprobasse videntur nonnulli, qvi *Confibulam* qvoqve ferrum dicunt, qvo lapides qvadrati, & tigna inter se conjunguntur: qvamvis Cato exigat in villa Fibulas duodenas, XL. in torculari- um, & Confibulas ligneas, qvæ arbores comprimant, si dishiascent. Clariùs in adversariis Turnebus: *Confibulæ sunt tanqvam duplices fibulæ, qvæ si qvando qvid hiet & aperiatur, ad constringendum utrinq; & comprimendum adhibentur, interpositis & interculcatis etiam cuneis.* Et sanè Cato non uno in loco operis rustici Fibulas, easqve ligneas, ad vasa potissimùm vinaria & olearia desiderat. Inde *Confibulare*, qvod apud Isidorum in Glossis notavit eruditissimus Salmasius. Hugutio exposuit simul fibulare; qvod Columella optimè simplici verbo *Fibulare* indicavit; id est, qvibusdam qvasi fibulis coagmenta connectere, Petri Ruellii sententia: eademqve notione vetus Glossa *Affibulare* dixit fibulas colligare. Pleriqve hujus Fibulæ

De re Rust. C. 3. & 12. Lib. 8. C. 6.

Cap. 13. 26. 31. & 68.

Not. Tertull. de Pal. 124.

De re rust. Lib. 1. C. 6.

bulæ autorem ſibi conſtituunt de Bello Gallico Cæſarem. Diſtinctiùs eodem fundamento Hadr Junius in Nomenclat. & Gulielmus Philander ad Vitruvii Lib. 10. Cap. 2. ubi *tigna tria à capite fibula conjuncta*. Axiculum, ſive ſubſcidiculam, aut clavum putant, qvi per tignorum capita trajicitur, ut ea contineat, utqve deduci poſſint, qvò imæ partes divaricentur. Paucis, ſed verè, *Fibulas* hîc intelligit Turnebus *copulas & paxillos, qvibus trabes ad tigna fixa tenebantur.* Hinc Juſtus Lipſius acerrimi judicii vir, probans Julii Scaligeri de Talea opinionem Fibulas ait velut ligneas anchoras immiſſas ad ligandum. E ligno duriore eum clavum fuiſſe exiſtimat Hieron. Magius; qvem Fabricius ab Aqvapendente vulgo *Clavem* appellari monet. Huic fortasſis parum diſſimilis erat ſurculus qvaſi pedalis de tenero ramo ex utraqve parte æqvabiliter præciſus, qvem apud Varronem alii *Clavolam* ſeu *Clabulam*, alii *Taleam* appellant; Palladius Rutilius *Clavam*; alii, nec ſine ratione forſan, *Clavum* malunt: qvum Oribaſius de Machin. Cap. 4. doceat, Fibulas infixas clavorum uſum præſtare; & Fibulas qvidam ad Com. Jul Cæſaris, qvi ait, *binis utrinq; Fibulis ab extrema parte diſtinebantur*, interpretetur *Clavos Trabales*, qvi ex pontis ichnographia conſpicui ſunt. Idem doctiſſimo Galeni interpreti Fabio Pacio etiam placuiſſe video, cui Περόνη clavus eſt, aut prælongum qviddam teres, qvo aliqvid ſimpliciter perforatur. qvia græcis Πείρω Transfigo, ſive Transeo, & Homero Περονάω Fibulâ qvaſi trajicio; unde forſan Inſubribus hodiè fuſcinula *Pirone*; itemqve tignorum junctura

Lib. 4.
In rei veterinar. Nomenclat.
Adv. Lib. 24. C. 30.
Poliorcetic. L. 1. Dial. 5
Miſcell. L. 4. Cap. 20.
Operat. Chirurg.
Rei ruſt. L. 1. Cap. 40.
Non. Marcellus.
De re ruſt. L. 4 Tit 10.
De bello Gallico Lib. 4.
Comm. in Gal. Meth. Med. Lib. 3. Cap. 4.

Lib.10.C.2. ctura in Trispasto, appellata Vitruvio *Fibulatio*, Danieli Barbaro Commentatori Italo *Perone.* Alio *Lib.d.Cap. 12.* præterea significatu idem Vitruvius in Machina Ctesibica Fibulam exponit, per qvam penula cuneo trajecto cum catino coagmentatur, hoc est, uti *Compos.271.* cum Scribonio Largo loqvar, adplumbatur, sive ferruminatur, aut jungitur, & solidatur; ut bene Vitruvium verterit Barbarus Italico sermone, *stagnato e saldato*; itemqve Germanico Gualtherus Rivius, *Gelotet*, *Verlotet.* Dubium verò sese circa Fibulam ostendit Mathematicus suâ ætate insignis Joan. Jucundus in Librum 4. Comm. Cæsaris; tametsi pontis formâ, Henrici Glareani sententiâ, pleraqve *Ex. 329.* Cæsaris verba luculenter exprimat. Nec Aldus cum sua Academia Julio Scaligero satisfecit. Et meritò *De Cæsar. præst. L. I.* in re Francisci Floridi judicio difficillima. Jucundo tamen Andreas Palladius post Jul. Scaligerum lucem attulit. Nec ab his Lipsius discedit, qvi Fibulas in*Poliorcet. Lib. 2. Dial. 5.* terpretatur taleas duras, firmas, & velut ligneas anchoras, qvæ in caput qvodqve trabis ad ligandum immissæ. Sed & Fibulationem Machinæ apud Vitruvium Lib. 10. Cap. 2. adscripto Fibulæ nomine, qvam ejusdem Libri Cap. 4. Clavum dixerat, funibus orbiculatim circumvolutis in schemate ad Autoris mentem verè expressit Jucundus. De qvo non malè intelligendum in Glossis Isidori verbum *Offibulare.* qvod ipsi valet, *concludere*, *circumdare.* In hunc ferè modum Franc. Lucius Duratinus in Onomastico Vitruviano scribit Fibulam esse instar Anuli. *In Lib. 4. Comm. Jul. Cæsar.* Nec aliud significasse apparet Andr. Palladium, qvando Fibulas reddidit sermone Herrusco *Legature*; qvam-

qvamvis specie ligneas delineârit. Hâc mente Turnebus: *Fibulæ apud Catonem Cap 31. sunt, qvas ab Herendo Galli Heraces appellant, qvibus aliqvid alligatur.* Cato eas tamen vult, qvarum ad oleam cogendam in prælo usus est. Utrasqve etiam muri frontes inter se mœnibus taleis oleagineis ustulatis, qvemadmodum fibulis, colligatas æternam habere firmitatem tradit Vitruvius. Qvem de Clavibus ac Fibulis interpretatur Philander, trajectis veluti transtillis per trabium capita. Talem depinxit Gulielmi Philandri magister Sebastianus Serlius Architect. Lib. 7. Cap. 75. cum qvo in ipsius Indice consentit Vincentius Scamozzius. Vitruvium autem explicavit optimè Joa. Bapt. Caporalis Perusinus. Præter enumeratos Usus, Oribasio Fibula complures alios in Organis præstat; inprimis continendi causâ in spatham ac radicem pertusam inseritur, eademqve ratione Axes servat immobiles, teste eodem, in Nilei Plinthio. Crura qvoqve organi transversa fibulis continentur. Sed & axis extremitatibus impacta rotarum modiolos cohibet. Fibulas prætereà adhibitas funibus deducendis, contrahendis, pertendendis, complicandis, cum vectibus, qvibus ad hauriendos puteos evehendosqve pontes hodiè utimur, docet Cæl. Calcagninus de re Nautica. Fibulæ qvoqve appellatione V. C. Jacobus Golius intelligit paxillum ligneum, qvo binæ sarcinæ in clitellis connectuntur. Anatomicis verò os Tibiæ Minus, qvod Cello Sura, Hippocratis & Galeni temporibus usqve ad Jul. Pollucis ætatem Περόνη nominabatur, à similitudine Ferramentorum, qvibus trabes in ædificiis com-

Architect. Lib. 3. C. 6.
Advers. L. 25. C. 20.
Lib. I. C. 5.
Lib. de Machin. C. 4.
L. d. Cap. 8.
Scalig. Ex. 329.
Adag. Arab. XLV.
Lib. 8. C. I.
Lib. de Off. nat.
Com 2. Lib. de Fract.
Lib. 2. C 4. n. 39.

L 6 C.104. combinantur; qvemadmodum Æginetæ forsan con-
Utr. Ling. jecturâ, præter Joach. Camerarium Græci sermonis
Com. 398. suà ætate peritissimum, & Archangelum Piccolomi-
Theatr. A- neum, refert clar. doctor meus Gaspar Bauhinus,
natom. Lib. etiam Hippocrati aliqvoties brachii Radius. Hæc
4 Cap. 4. tamen proportio paulò remotior, nisi qvàm figura
De Loc. in hom. magis spectetur usus, qvem Galenus musculis & va-
De Usu Part. sis munimentum dicit; alii, qvà tibiæ alligatur.
L. 3. C. 13. Qvâ ratione apud Hesychium celebrem Grammati-
cum: Περόναι τὰ ἀντικείμενα τῇ κνήμῃ ὀστᾶ, *Fibulæ oppo-*
Enchirid. A- *sita tibiæ ossa.* Joannes Riolanus corporum sectione
natom Lib. vir nostra ætate consummatissimus id factum cen-
6. Cap. 23. set, qvoniam fibula condylum tibiæ externum, cui
est affixum, sustinet, in qvam partem femoris toti-
usqve corporis pondus maxime propendet. Alic-
Loc. cit. nius verò est à præsenti dissertatione, qvòd Hippo-
crati vox hæc idem qvod ossis appendix, sive protu-
berantia. Figurâ nihilominus non usqve dissimilis
est Architectonicæ, nisi forsan minùs teres: qvod
Gal. L. d. C. 10. & 11. sanè parum ad usum. Verior Claviculæ compara-
tio, qvæ scapulam clavi more firmat, ne in pectus
prolabatur. Nec minor à nomenclatura & usu Fi-
bulæ convenientia per cetera discrimina elucescit.
Qvid enim aliud qvàm Ἀγκτὴρ, Fibulæ appellatione
notus in arcu majore sive ballista chalybea eburneus
seu osseus ille uncus aut hamus, qvi epizygi immis-
sus nervum retinet? Qvid etiam ab eo habet usu
diversum illa, qvâ clauduntur libri, Italis *Fibbia*?
Qvid verò simile enchiridio, in qvo aliqvid memo-
riæ causâ notatur, nisi forte qvòd complicetur? Hac
tamen notione apud S. Pacianum reperiri Fibulam,
reli-

reliqvit amicus noster incomparabilis ingenii ac doctrinæ Polyhistor Gasp. Barthius. A qva locutione *Adversar.* parum abest Saxonum idioma, qvi tabellas Alpha- *L.43. c.15.* betarias vulgari sermone ac prope puerili *Fibel* nominant: forsan qvod hæ plurimùm in ea gente libelli formâ complicatiles; qvibus non absimile qvidpiam indicat Julius Pollux: nisi malis à Græco *L.4. c. 2.* βίβλος, qvod primus hic liber, cui tenella ætas initiatur; qvemadmodum & Germanus *Bibel* ἀπὸ τοῦ βιβλίου. Sacro autem Scriptori non libellum, sed pœnitentiam, qva totius Ecclesiæ disciplina contineatur, fibulæ nomine significari, manifestant hæc ejus verba: *Præterea nullus existimet hunc ipsum de pœniten-* *Parænesi ad* *tiæ institutione sermonem solis tantummodo pœniten-* *pœnitentiã.* *tibus ordinatum: ne propter hoc qvisqvis extra hunc gradum positus est, ea qvæcunq; dicentur, velut in alios destinata fastidiat: qvum in hanc qvasi fibulam totius Ecclesiæ disciplina notetur.* Melius procul dubio Joannis Gronovii conjectura *nodetur*. Nam & alii legerunt *coärctetur*. Fibulæ figurâ atqve usu affinius est, qvod monet ibidem Barthius, hoc nomine insignitum Rationale, qvod Aaron gestabat: qvanqvam *Exod. 28.* Judæorum Magistris potiùs sit ipsum pectorale, cujus *v. 28.* qvatuor extremæ oræ totidem ansulis epomidi affibulantur sive adstringebantur; qvod D. Hierony- *Lib. 3. Ep. de vest. Sa-* mus Fabiolæ exactiùs indicavit. Nec aliter qvàm *cerdot.* similitudine qvadam satis longè petitâ Fibulæ nomen mereri videtur, qvâ labentes mortuorum maxillæ apud Hebræos continentur, fascia; qvæ veriùs capistrum est. Pestem porrò eqvis infensam doctis- *Hist. Plan-* simus Leonardus Fuchsius populari veriùs Germa- *tar. c.135.*

norum idiotiſmo, qvàm rei ſimilitudine, Fibulam appellavit. *Licet enim*, ut cum Tullio Sidonius, *novis rebus nova nomina imponere*. Sed hæc leviora: aliò namqve tendit ſummæ ratio, qvam ferè omnem in eo Fibulæ genere ponunt viri lectisſimi, qvæ in amictu celebris fuit: ut non planè alienum hîc fuerit minima qvæq; perſeqvi; qvandoqvidem hoc argumentum evidentiæ gratiâ largiorem ſermonis uſum poſtulat.

Ep. Carm. 13.

Cap. V.

Fibula Vestiaria delineatur.

In Odyſ. σ'

Fibula igitur Vestiaria Græcis Περόνη, & Πόρπη, monente Didymo, interprete antiqvisſimo, in Targo Chaldaico Porpin פּוֹרְפִּין, Etymologicis propriè eſt ornamentum cinguli, qvâ per anulum pars cinguli retinetur, ad veſtem ſubligandam. Minutiùs forſan & accuratiùs, in Originibus Iſidorus: *qvod pectus feminarum ornat; vel pallium virorum in humeris, cingulum in lumbis firmat.* Similiter vetuſtisſimum Anonymi in Bibliotheca Ambroſiana Mediolani M. S: *Fibulæ ſunt, qvibus pectus feminarum ornatur; à viris in humeris, ceu cingulum in lumbis, portantur.* Qvibus in ſuum Etymologicum translatis addit Papias: *Luna ſunt, nec ſtabiles.* Nimirum exemtiles. Jure qvidem in humeris. Etſi enim plerumque in dextro, nonnunqvam tamen in altero hærebant, modò vetuſtioribus ſtatuis fidendum. Neqve id ex Jul. Polluce obſcurum, apud qvem legi-

Lib. 19. C. 31.

legitur: ὁ σχιστὸς χιτὼν πορπαις κατὰ τοὺς ὤμους διῄρει. *Tunica aperta fibulis circa humeros connectebatur.* Eo ferè modo in Apulejo puer, qvi Mercurium in scena referebat, ephebica chlamyda sinistrum tegebat humerum. Rem aperuit Sophocles: L. 7. C. 15. Met. L. 10. Trachiniis. v. 933.

Τοσαῦτα φωνήσασα, συντόνῳ χερὶ
Λύει τὸν αὐτῆς πέπλον ᾧ χρυσήλατος
Προὔκειτο μαστῶν πορπὶς· ἐκ δ' ἐλώπισε
Πλευρὰν ἅπασαν, ὠλένην τ' εὐώνυμον.

Gulielmus Canterus Latinè:

Hac cum dixisset, mox celeri manu
Vestem suam solvit, quâ aurea
Mamillas coercebat fibula, totumq; nudavit
Latus, ac sinistrum humerum.

Ita Jacobus Dalechampius apud Athenæum λαγόνα τὴν ἀριστερὰν Metonymiâ elegantiore vertit *Sinistri lateris fibulam*; veriùs Natalis Comes, *Latus sinistrum.* Ritum hunc suggerit vetus Euripidis Interpres. αἱ λακεδαιμονίαι γυναῖκες ἐν τοῖς ἀγῶσι μονοχίτωνες ἦσαν, ἐπόρπας ἐφ' ἑκατέρῳ τῶν ὤμων ἔχουσαι. *Lacanæ mulieres in certaminibus unicâ erant indutæ tunicâ, fibulas in alterutro humero habentes.* Qvas hîc ἐπόρπας, paulò ante πορπὰς appellat. De Tunicis Ælianus: τῶν δὲ χιτώνων, τὰ περὶ τοὺς ὤμους ἄχρι τῶν χειρῶν οὐ συνέῤῥαπτον, ἀλλὰ πορπαις χρυσαῖς καὶ ἀργυραῖς συνεχέσι κατελάμβανον. Justus Vultejus vir eruditus sic interpretatus est: *Tunicarum verò eam partem, quæ est ab humeris usq; ad manus, non consuebant, sed continuis fibulis aureis & argenteis constrinxere.* Muliebres hîc innuere videtur Tunicas, qvæ erant manicatæ: qvamvis & tales olim viriles apud Carthaginenses; sed in Romanis L. 13. C. 9. Hecuba. Var. Histor. L. 1. C. 28

pueris

L.7.C.12. pueris ob mollitiem ſuſpectæ; etiam in viris. Autor mihi Agellius: *Tunicis uti virum prolixis ultra brachia, & usq; in priores manus ac propè in digitos, Romæ* Invent. 2. *atq; omni in Latio indecorum fuit.* Inde Tullius: *Quos pexo capillo nitidos & imberbes, aut benè barbatos videtis, manicatis ac talaribus tunicis.* De qvibus etiam Pænul. Plautus: *ſanè genus hoc mulieroſum eſt demisſitiis tunicis.* Et qvidem ejusmodi Tunicæ non ſolum in humeris fibulâ committebantur, teſte Julio Polluce; ſed usqve ad infimam utriusqve partis oram plerunqve nodis ac fibulis ſtringebantur: imò veſtis reliqva in pectore. Claudianus:

Lib. 2. in Eutropium. ——— *poſt terga reductas*
Uberibus propior mordebat fibula veſtes.

Fibulam qvoqve eſſe vinculum, qvo mulieres fluentem retro veſtem ſubnectunt, in Vitruvium annotat Philander. Togam nempè ac muliebrem ſtolam, & Cingulum ea ſubnectebat. Sed Fibulæ etiam in Caligis uſum oſtendunt veteres ſtatuæ. Græcis ea propriè videtur Ἐνετὴ: qvamvis aliam intellexerit Callimachus:

Ἄλλικα χρυσείῃσιν ἐεργομένην ἐνέτῃσι

Dier. Genial. Lib. 5. Cap. 18. de qva ſuo loco clariùs. Nec Lunulas in Senatorum calceis aliud qvàm fibulas fuiſſe eburneas, Lunæ instar corniculantes, poſt Cælium Rhodiginum opinatur Alexander ab Alexandro, & Iſacus Gangræus Sat. 1. ad Juvenalem. Lunula nempe illa fuit Ἐπισφύριον ἐλεφάντινον μηνοειδές: *Supermalleare eburneum, instar lunæ* Miſc. epiph. *corniculatum,* Nicolai Loenſis interpretatione; L. 5. C. 2. vel, qvod clarius, *Fibula in malleolo pedis eborea, instar* *lunæ.*

lunæ. Et rectè fortasſis. Alios enim ligulis cretâ ſutoriâ denigratis calceolos aptaſſe ſignificat Scribonius Largus. Ligulis autem injectas fuiſſe fibulas indicat Ælianus var. hiſtor. lib. 9. cap. 11. qvi è Theophraſto narrat de Parrhaſio pictore: χρυσαῖς ἀνασπάστεις πρωταῖς (f. χρύσοις τε ἀνασπάσεις) ἐπίσφιγγε τοὺς ἀναγωγέας, (annon ἐπέσφιγγε τοὺς ἀναγωγεῖς?) τῶν βλαυτῶν, Juſto Vultejo interprete: *aureis fibulis ſupernè calceamentorum ligulas conſtringebat.* Imo, Arcadum more lunatos Plutarcho teſte Patriciorum calceos ejus utplurimum coloris fuiſſe ſatis declarat Juvenalis: Comp. 208. Probl. 75. Qv. Ro. Sat. 7.

nobilis & generoſus
Appoſitam nigræ Lunam ſubtexit alutæ.

Qva ſententia Martialis: Lib. V.

Lunata nusqvam pellis, & nusqvam toga, Ep. 50.
Olidæq; veſtes murice;

etiamſi Chriſtophoro Colero *Lanata* magis placeat. Mumiarum Sandalia in Ægypto nigris vinculis aptata vidit P. de Valle Itinerar. Orient. pag. 379. Nec ſanè Gangræus adeò culpandus videtur, dum Poetæ Lunam exponit Fibulam. Eſto, qvod contendunt qvidam, Fibulas etiam non fuiſſe lunatas; & calceos plebi fuiſſe fibulatos; qvamvis neqve id ita certum, ſi credendum Scrib. Largo, qvi florente imperio ſub Claudio vixit, imò Poetæ ipſi, qvi nigræ alutæ Lunam artificiosè oppoſuit, qvemadmodum Theodorus Marcilius diligenter advertit. Juv. Sat. I. Nunqvid iccirco forma Fibulæ non fuit arbitraria? Novumné putemus, Nobiles à vulgo diſcerni voluiſſe ſemilunulæ figurâ? Diverſa profectò Fibulæ

ratio eſt in chlamyde, ac in calceamento: qvanqvam & iſta non rarò luniformis viſa. Utriusqve verò ut peculiaris fuit uſus, ita qvoqve effictio; qvam tamen ex antiqvitate in ea hactenus ſola obſervare licuit, cujus morſu indumenta fuiſſe unita extra dubium eſt; cujus etiam acus cardine veriùs qvàm nodo mobilis potius canaliculo qvàm unco ſtringitur. Talem verò Fibulam nobilitatis olim extitiſſe indicem, teſtis Philoſtratus: nec ſolùm ornamento, ſed uſui etiam fuiſſe verè oſtendit Benedict. Balduinus hoc Statii verſu:

De Vit. Soph. lib. 2. *De Calc. antiq. C. 9. p. 55.* *Miſcell. L. 3. Cap. 3.*

Primaq. patriciâ clauſit veſtigia lunâ.

Eò licet videatur ſpectare modus, qvem è Zonara Hieronymus Magius repetit: *Patricios in urbe calceos geſtaſſe adornatos corrigiarum inflexione & formâ literæ C.* longè tamen aliter ſcriptor Græcus, niſi C ſuppoſitum fuerit loco e lunati, cujus notâ Latinum e, literæ c non multum disſimile, ſæpius exprimitur. In qvem errorem librario parum diligenti nec ſatis perito facilis erat Græci characteris cum Latino affinitas, noſtris etiam temporibus familiaris. Zonaræ verba ſunt, interprete Hieronymo Volfio: *Patricii calceos urbanos geſtârunt, & corrigiarum implexione, & formâ literæ adornatos, ut à primis Senatoribus orti eſſe viderentur. Literam autem fuiſſe tradunt R, (τὸ γράμμα δὲ ῥῶ) ſive qvòd ea apud Græcos centenarium numerum ſignificet, ſive qvòd ea prima nominis Romani ſit litera.* Iſidorus longè prior de his enucleatè: *Patricios calceos Romulus reperit qvatuor corrigiarum, aſſutaq; Lunâ. Iis ſoli patricii utebantur. Luna autem in eis non ſideris formam, ſed notam centenarii numeri ſignificabat,*

Annal. To. 2. Pag. 14. *Orig. lib. 19. Cap. 33.*

ficabat, qvòd initio Patricii Senatores centum fuerint. Hujus itaqve teſtimonio, non ut aliis viſum Plutarchi, Fibulæ genus illud C literæ figuram exhibuit. Eos verò Caligis militaribus fuiſſe oppoſitos, diſertè oſtendit ſuâ in Antonium invectivâ Tullius: *Philip* 2. qvibus Romani foris, ut domi ſoleis, utebantur. Fibulâ qvoqve Ocreas antiqvos ſupra malleolum conſtrinxiſſe liqvet ex Homero Poeta multiſcio, qvi Ἰλ. γ. 330. Ἐπισφύριον nominat:

Δῖος Ἀλέξανδρος Ἑλένης πόσις ἠϋκόμοιο
Κνημῖδας μὲν πρῶτα περὶ κνήμῃσιν ἔθηκε
Καλὰς ἀργυρέοισιν ἐπισφυρίοις ἀραρυίας:

Oberto Gifanio probatus interpres:

Divinus Alexander Helenæ maritus pulchricomæ
Ocreas qvidem primùm circa tibias poſuit
Pulcras argenteis fibulis adaptatas.

Sic Thetis apud eundem filio petit à Vulcano:

—— καλὰς κνημῖδας ἐπισφυρίοις ἀραρυίας.

Ejusmodi ocreas in veteri ſigillo æneo ad Arrianum de arte militari oſtendit Lucas Holſtenius omnigenæ eruditionis fama clarisſimus. Ἐπισφύρια verò, teſte Phavorino, τὰ καλύπτοντα τὰ σφυρὰ, qvæ tegunt malleolos. Ideoq; Lexicon Græco-lat. incerti Baſileæ vulgatum perperam: Ἐπισφύριον, *Subligaculum*. Nec aliter Gallienus apud Trebell. Pollionem *caligas gemmatas annexuit*. *Fibula* præterea *de bracile*, hoc eſt, armillæ inter utenſilia numeratur in veteri inſtrumento apochæ anno imperii Juſtiniani XXXIIX. Ravennæ ſcripto; qvod amicus noſter Gabriel Naudæus è bibliotheca Eminentisſimi Cardinalis Jo. Franciſci à Balneo in lucem protulit. Qvin arma

l. 3. Epist 3. etiam commisit Fibula. Sidonius Apollin. ad Hecdicium: *alii de concavo tibi casſidis exituro flexilium laminarum vincula diffibulant.* Teli qvoq; in pilo fibulas indicavit Polybius. Hist lib. 6. Qvod etiam Lipsius monuit. De Milit. Rom. Lib. 3. Dial. 4. Fibulam præterea apud Lusitanos Clypei fuisse manubrium ostendit Strabo. Lib. 3. Ἀσπίδιον δ' αὐτοὺς δίπουν ἔχειν τὴν διάμετρον, κοῖλον εἰς τὸ πρόσθεν, τελαμῶσιν ἐξαρτημένον, ὅτι γὰρ πόρπακας, ὅτι ἀντιλαβὰς ἔχει. *Parvum qvidem habent ſcutum duorum pedum diametro, foras concavum, loris fultum, neqve enim fibulas neqve anſulas habet.* Locum hunc egregiè illustrat Hesychius, qvi, qvum dixiſſet, Πόρπαξ, ἡ λαβὴ τοῦ ὅπλου, *anſa ſive manubrium in armis;* in medio clypei ferreum indicat: qvanqvam & constat, ſcutum humero corrigiâ fibulato hæsiſſe, ut commodè alterutri brachio aptaretur. Idem clarius, Πόρπη, ὁ ἀνοχεὺς τῆς ἀσπίδος, εἰς ὃ ὁ πῆχυς ἀνίεται. Hac mente vetus Aristophanis εἰρήνη. interpres: Πόρπαξ δὲ κατά τινας μὲν, ὁ ἀναφορεὺς τῆς ἀσπίδος. Et: Ἱππ. Πόρπαξ ἐν ᾧ τὴν ἀσπίδα κατέχουσιν ὁ καλεῖται ὄχανος. περιφερὴς δὲ οὖσα ἡ ἀσπὶς ἐκινεῖτο κυκλικῶς διὰ τοῦ πόρπακος. Hujus generis tradit Laurentius Joubertus De Gymnasiis Cap. 11. halterum fibulas, qvæ facile manus exciperent. In pilo etiam fibulæ usum ostendit Polybius: προσήρμοσται δ' ἑκάστοις βέλος σιδηροῦν ἀγκιστρωτὸν, ἴσον ἔχον τὸ μῆκος τοῖς ξύλοις, οὗ τὴν ἔνδεσιν καὶ τὴν χρείαν οὕτως ἀσφαλίζονται βεβαίως, ἕως μέσων τῶν ξύλων ἐνδέοντες, καὶ πυκναῖς ταῖς λαβίσι καταπερονῶντες, ὥστε μὴ πρότερον τὸν δεσμὸν ἐν ταῖς χρείαις ἀναχαλασθῆναι, ἢ τὸν σίδηρον θραυσθῆ. *Aptatur ſingulis* (pilis) *telum ferreum, hamatum, longitudine par ipſi ligno; cujus nexum uſionemq; ita validè*

validè firmant, ad medium usq; ligni inserentes, & crebris fibulis adstringentes, ut non prius devinctio illa inter utendum solvatur, qvàm ipsum ferrum defringatur. Lipsius heic more qvidem suo accuratus, nihil tamen de fibulis, nisi qvod ex Plutarcho notum duas fuisse, qvas Polybius plures indicat. Fibula tandem capillitium continebat. Obvia sunt Luciani verba: πόρπη τις, ἢ ταινία τὸ ἄφετον τῆς κόμης συνδέουσα, *aliqva fibula, vel tænia comam diffluentem colligans.* De hac fortè Virgilius: Mario.

—— fusos cervix cui lactea crines Æn. 10.
Accipit, & molli subnectit circulus auro.

Cujus fortasse specimem fuit in cadavere virginis, qvod Alexandri VI. P. M. tempore sub via Appia repertum nullâ vetustatis auctoritate Tulliolæ Ciceronis filiæ censebatur. In peplis porrò Fibulam in pectoris summo Doricum inventum tradunt qvidam. Qvâ ratione de Fibula eruditè Ludovicus de la Cerda in 4. Æn. v. 139. accipit illud Nonni Lib. I. πεβείδα σφίγγατε μοι στέρνοισι. Nec sanè displicet Græcorum à Cl. Salmasio adducta distinctio, ut Περόνη sit Humeralis, πόρπη vestem ad pectus stringat. Promiscum tamen utriusq; vocis usum satis indicat Homericum: Ιλ. ξ.

Χρυσείης δ' ἐνετῇσι κατὰ στῆθος περονᾶτο.

Acum interpretatur Æmilius Portus, qvam mulieres ad ornatum in capite gestant, qvando Suidas ait: Περόνη, κόσμος τις. Qvam Tertullianus Martialis De virgin. exemplo eleganter lasciviorem dixit. Nec Πόρπη vel. cap. 12. apud Plutarchum congruenter *Bulla* redditur, veluti L. II. ep. 46.

Desiderius Heraldus ad Martial. lib. 5. Ep. 43. rectè animadvertit. Mundo etiam muliebri Fibulam post Jul. Poll. accenset Joach. Camerarius ex Homeri in Venerem Hymno.

Lib. 24. Cap. 25.

Πόρπας τε γναμπτάς θ' ἕλικας, κάλυκας,
Fibulæ, torques, bullæ, monilia;

Dilucidat. Liv. L. 39.

& Circulum fuisse opinatur Marcellus Donatus. Usum hujus Fibulæ latiùs expressit Nilus Scholasticus Antholog. Lib. 4. Cap. 12. Epigr. 112.

Πόρπη τε χρυσοῖο πτυγμένη ἠδὲ πρὸς ἄκρην
Ἰγνύην φοῖνιξ πέπλος ἑλισσόμενος.
Et Fibula auro facta, & ad summum
Poplitem ruber peplus tractus.

Lib. 2.

In hunc fermè modum Corippus:

Substrictoq; sinu vestis divina pependit
Poplite fusa tenus.

Antiqv. Lect. L. 13. Cap. 19. Ιλ. ε. L. 7. cap. 13.

Ulteriorem ejus usum seqviori sexui peculiarem, habet Cælius Rhodiginus, qvatenus inventione Doricâ erat Pepli retinaculum. Πέπλος autem, præter Hesychium, Suidam, & Phavorinum Eustathio qvamvis mulierum sit, qvemadmodum χιτὼν virorum: discrimen tamen, eodem teste, cum Euripide sustulit Sophocles, hosqve secutus Pollux, apud qvem, καὶ ἐπίβλημα, καὶ χιτὼν, πέπλος; & Xenophontis autoritate ἀνδρεῖον φόρημα. Addit Suidas: Παρὰ τοῖς κωμικοῖς πέπλος καλεῖται καὶ ἑανόν. Æmilio Portâ interprete, *apud Comicos Peplus vocatur & ἑανὸν, id est, tenue & subtile velum. Indumentum, quod ob suam tenuitatem facilè potest indui.* Eustathio περίβλημα

Idyl. 15.

σινδονοειδές: Theocrito appositè Περονατρὶς, qvoniam fibulâ

fibulâ connectebatur. FIBULA itaqve tum Virilis, tum Uxoria fuisse videtur. Pro *Virilæ* etiam (vel, qvemadmodum habet editio Parmensis Anni 1481. *Viriolæ*, id est, Armillæ viris militaribus virtutis causâ concessæ,) in vetustissimo & emendatissimo Plinii Codice reperit Bayfius *Uxoriæ*. Qvam lectionem ut probem suadent in primis hæc Trebellii Pollionis *Vestis muliebri fibulâ stricta.* Peplum verò Pallium secundùm Euripidem cum Cassiodoro exponit celeberrimus in Lyceo Patavino nostri seculi Doctor Fortunius Licetus, qvi non infelici conatu sapientiæ studium variis literis exornavit. Nec sine vetustissimorum Scriptorum Homeri ac Xenophontis autoritate, qvorum ille Priamo, hic Tigrani Armenio, ejusmodi sindonem indidit. Qvin Imperatorum inaugurationi adhibitum fuisse, testis mihi Trebeli. Pollio: *Celsum Imperatorem appellaverunt peplo Deæ cœlestis ornatum.* Et: *Saturninus amictus à militibus peplo imperatorio.* Sic Pausanias: πέπλ☉ πορφύρας Νέρωνος ἀνάθημα: Romuli Amasæi versione; *Palla purpurea Neronis donum* Purpura nempe Regia Jovi Capitolino veluti Regi sacra in Capitolio suspendebatur. Flavii Vopisci verba sunt: *Meministis fuisse in templo Jovis Opt. Max. Capitolini pallium breve purpureum.* De Peplo fortassis idem in Aureliani historia: *Ingrediente eo Antiochiam in vehiculo, qvòd præ vulnere tunc eqvo sedere non posset, ita pallium purpureum qvod in honorem ejus expansum fuerat, decidit, ut humeros ejus tegeret.* Peplo Minervæ porrò dignus ille philosophus qvi magnis associetur nominibus, haut exiguam apud eruditos certè inibit gratiam, si bre-

Nat. Hist. L. 33. c. 3.
De Vascul.
Tyrannis.
Encyclop. ad Syr. Porph. Cap. 6.
Il. ω.
Pæd. 3.
Saturnino.
Corinth. 2.
Aurelian.

si brevitate Festi inumbratam Flaminum Infibulationem pro sua divinandi facilitate aliqvando illustraverit. Neqve enim nulla dubitandi causa, qvinam ejus fuerit modus. Flamines qvidem apud Varronem sic appellati sunt, *qvòd in Latio capite velato erant semper ac caput cinctum habebant filo.* Rectiùs in Conjectaneis ad hunc locum Joseph. Scaliger, *qvòd licio in apice velati erant.* Flaminum nempe & Flaminicarum ornamentum *Apex*, id est, Galerus seu potiùs pilei conus filo erat involutus. Unde & Virgilio *Apices lanigeri*, & Flamines Dionysio Στεφανοφόροι dicebantur. Atqve hac voce paulum immutatâ Nicephorus Botoniata Constantinopolitanus à Michaele Psello Carminibus in Cantica Canticorum στεφηφόρος cognominatus peculiari epitheto Imperator intelligitur; qvemadmodum Leo Allatius, variâ eruditione atqve inprimis Græcarum Antiqvitatum peritiâ clarissimus, ob eximios in re literaria conatus Eminentiss. Lælio BISCIÆ Principi purpurato charus, curiosâ de Psellis Diatribâ jam pridem ostendit. Flamen verò à Filamine seu filo nomen habuisse opinatur ad hunc Varronis locum Turnebus vir maximus: qvod Livius *Lana velamen* credidit. Historico adstipulatur Varro de re rustica: *Lanam demptam ac conglobatam alii vellera, alii velumina appellant.* Causam reddit ipse de Lingva Latina, qvòd in Veliis pastores Palatini ex ovibus ante tonsuram inventam vellere lanam sint soliti; eumqve morem qvibusdam in locis suâ ætate durasse, autor est Plinius: ut non frustrà Flamines qvis putârit capite fuisse fibulatos: qvaliter fortassis apud

De Lingv. Lat. Lib. 4. — Æn. 8. — Pag. 54. — Lib. 1. — Lib. 2. C. 11. — Lib. 4. — Nat. Hist. L. 8. C. 48.

apud Philostratum Cupido infibulatus censeri posset. At verò de Opeconsivæ Deæ Sacrario sermonem instituens Varro rem planè ob oculos ponit: *eò præter virgines Vestales, & Sacerdotem publicum introeat nemo. Is cùm eat, suffibulum haut habeat.* Etsi verò, qvemadmodum in hunc locum advertit Adr. Turnebus, Suffibulum videatur Varroni notare Subligaculum: Festo tamen *est vestimentum album, prætextum, qvadrangulum, oblongum, qvod in capite Vestales virgines sacrificantes habebant, idq; fibulâ comprehendebatur:* puta sub mento; unde nomen etiam traxisse creditur. Idnè Varro voluit, qvando ait: *dictum capital à capite, qvod sacerdotulæ in capite etiam nunc solent habere.* Qvidni enim hoc etiam citra humeros difflueret? Tale qvidpiam affirmat Strabo de Cimbrorum sacerdotibus, qvæ divinationis peritæ cum ipsorum uxoribus in militia canæ seqvebantur, indutæ albâ veste, lineâ è carbaso subter tunicam fibulis annexâ. Sed planiorem omninò Festum spero modò verum, qvod à doctis memoriæ proditum; Sacerdotes omnes unaqve Augures prætextâ usos: qvamq; & de læna Servius: *Est propriè toga duplex: amictus auguralis. Alii amictum rotundum, alii togam duplicem, in qva flamines sacrificant infibulati.* Festo veriùs *duplex amictus.* Qvem Cicero M. Popilio flamini Carmentali tribuit. Fibulæ porrò usum sic docuit eximius juris civilis interpres Guidus Pancirolus: *Consideratione digna est Fibula, qvâ veteres Togam subnectebant, & qvandoq; etiam Cingulum. Fibula enim superiùs annexa in sinum fundebat Togam, instar veli vento inflati.* Et mox: *Facta erat potissimùm* in

De Lingv. Lat. Lib. 5.

De Lingv. Lat. Lib. 4.

Lib. 7.

Æn.

De clar. Orator.

Lib de Reb. deperd. Pag. 312.

in eum finem, ut Togam supra dextrum humerum connecteret, in qvo duæ illius partes subjectam acum in canalicula stringebant. Nec enim adsuta panno erat Fibula; sed duas Togæ partes adstringendo, non verè transfigendo subnectebat. Qvapropter supra Fibulam nodus qvidam conspiciebatur ex toga, qvæ cum venustate & elegantia dilatabatur. Qvæ num ita vera, sicuti speciosa, non est admodum dictu facile. Pallio certè agnatisqve ei vestimentis aptabatur olim Fibula; sed unica, qvemadmodum ex Ælii Spartiani Adriano

Not. p. 5. v. 35. subtiliter colligit Salmasius; nunqvid etiam Togæ, subdubium mihi reddidit Vir Clarissimus & supra annos eruditus Octavius Ferrarius, bonarum literarum in Gymnasio Patavino Primarius Professor. Qvidni enim apud veteres æqvè mentio Fibulæ,

Antiqvit. Ro. L. 2. ubi de Toga, qvàm ubi de Sago agitur? De Sallorum qvidem toga nescio qvid Dionysius Halicarnasseus suggerat, qvando hunc ipsorum ornatum describit: *χιτῶνας ποικίλους χαλκέαις μίτραις καθεζωσμένοι, καὶ τηβέννας ἐμπεπερονημένοι περιπορφύρους (φοινικοπαρύφους* redundat, monente Sylburgio,) *ἃς καλοῦσι τραβέας. ἔστι δ' ἐπιχώριος αὕτη Ῥωμαίοις ἐσθὴς ἐν τοῖς πανυτιμίοις.* Sigismundus Gelenius vertit: *Æreis balteis super versicolores tunicas cincti, togisq́ purpurâ prætextis & fibula adstrictis induti, qvas vocant trabeas: qvæ vestis apud Romanos honoratioribus est propria.* De qva ne ulterior sit dubitandi occasio, en ejusdem verba:

Lib. 6. *Πορφύρας φοινικοπαρύφους ἀμπεχόμενοι τηβέννας, τὰς καλουμένας τραβέας. Palmatis è purpura togis amicti, qvas*

Lib. 5. *vocant trabeas.* Item: *ὅτι ἢ τὴν ποικίλην καὶ χρ[...] ἀμφιέννυται στολὴν, κοσμεῖται τήβεννον τε ἐπιχώριον τῶν ὑπά-*

τῶν

τῶν τὶ καὶ ϛρατηγῶν φόρημα. Pro picta aureq; intertexta trabea induitur togâ prætextâ; qvod usitatum Consulibus & Imperatoribus gestamen est. Τήβεννον autem fatetur Halicarnasseus non esse Græcæ originis. Eos tamen togatos fuisse nondum constat; Saltationibusqve aptiores patet omnino tunicatos: etiamsi Marcellus Donatus affirmat pictam esse apud Livium togam. At Livii verba sunt: *Tunicaq; picta insigne dedit, & super tunicam aneum pectori tegumen.* Vereor etiam ne Polybii τήβεννα λαμπρὰ linea sit tunica, qvam Livius dixit purpurâ prætextam. *Prætexta* enim Halicarnasseo λευκὴ ἐσθὴς περιπόρφυρος, Sylburgio interprete, *toga candida purpureo prætexta clavo.* Qvidni *vestis?* Adde, togam, Halicarnasseo teste, non fuisse qvadratam, sed figura semicirculari, laxam adeò, ut Cicero velis non togis amictos notet, ideoqve nec fibulæ indigam. Saga qvidem omnia non connectebantur fibulâ, qvemadmodum Illyrica. Gallica qvippe rotunda & circa oram conclusa accepimus. Qvæ tamen aperta, fuisse fibularia, nemo judicii paulò sanioris negat. At qvomodo etiam Togæ sinus delabi potuit, qvæso, ipsaqve Toga decidere, ut est apud Qvintilianum, si acu figeretur? Tertullianus certè sinum ex umbonis ambitu natum tradit: cumqve adeò laxum fuisse constat ex Svetonio, ut ad ima crura deduceretur. Hunc nodum fuisse artificem cumulatissimè ostendit eruditissimus Salmasius, qvo nobis opus Oedipo, ubi potior conjecturæ qvàm interpretationi locus. Vestis autem cum Fibula aurea Panciroli tempore inventa, annon Paludamentum veriùs erat, qvàm Toga,

Lib. 3. *Dilucid. 142.* *Lib. 4.* *Lib. 3.* *Invent. L. 2.* *Inst. Orat. L. 11. C. 3.* *De Pall.* *Cæs.*

Lipſ. El. L. 1. C. 13. ga, qvæ rarior occurrit, qvæqve paulatim deſiit cum Imperatoribus, poſtqvam Tiberius Cæſar liberiorem togæ purpureæ uſum indutâ penulâ fuſcâ ſuſtuliſſet, ut Dio autor: etſi non ignorem Adriani juſſu ſenatores & eqvites Romanos ſemper in publico togatos fuiſſe. Hoc ut putem, ſvadent manifeſta de Alexandro verba Lampridii: *Uſus eſt ipſe chlamyde coccinâ ſæpè.* Sappho autem omnium prima de Amore verba faciens purpuream ipſi chlamydem tribuit, qvemadmodum Julius Pollux autor eſt. Cujus vero apud Romanos inventionem Georgius Cedrenus Numæ adſcribit. Interea perſpiciant oculatiores, ſi de chlamyde humero aut cervicibus adſtricta accipi etiam poſſint Panciroli verba, militibus, ut res ferebat, actu præliante incompoſitoqve motu variè dimicantibus. Ita omninò eſt. Chlamys namqve Romana non ſecus ac Paludamentum qvadrata erat ac aperta; qvam, ut firmior hæreret, trajectam Fibulæ acu veriſimile eſt; eaqve laxatâ indumentum promtè rejiciebatur. Imò Paludamentum de Nonii Marcelli ſententia eſt veſtis, qvæ chlamys dicitur: qvanqvam & hujus diſtinctè meminit. Nec malè. Paludamentum enim Imperatoribus peculiare fuit: qvod à chlamyde Tacitus ſeparavit de Claudio ſermonem inſtituens: *Ipſe inſigni Paludamento, neq; procul Agrippina chlamyde aurata præſedere.* Militem præterea Lucianus fingit ἐφεστρίδα περιπόρφυρον ἐμπεπορπημένον, *ſago purpurâ prætexto & fibulato indutum.* Ammianus Marcellinus de Sago pariter puniceo meminit. Qvod Non. Marcellus interpretatur veſtimentum militare. Nec aliud Trebellio Pollioni *veri luminis*

Margin notes: Tiber. — Æl. Spart. Adrian. — L. 10. C. 27. — Hiſtor. compend. Pag. 15 — Cap. de Genere veſt. — Ann. XII. — Dial. Meretric. — Lib. 26.

minis chlamydes videntur, qvàm Tertulliano puniceæ. Tunicis profectò nisi affixæ fuissent Fibulæ, eas avelli minimè notasset Sophocles: cujus elegantissimi versus mox expendentur, qvum vera Fibulæ in vestimentis antiqvorum figura exhibebitur. Hujus eadem ratio in pluribus Italiæ locis hodiè qvoqve durat, ubi manicæ Nobilium matronarum vacivæ fibulis ex auro circularibus ornari consvêrunt; qvales adhuc in veterum statuis supersunt, ut videre est apud Philippum Rubenium in Electis, & supra monui ex Æliani autoritate; nec iis multum absimilis earum minima, qvas Claud. Menetrius mihi Româ transmisit. Etsi verò Statii vetus interpres Luctatius, *Thebaid. 7. v. 658.* seu eruditorum sententiâ Lutatius Placidius, seu ut placet aliis Placidus Lactantius, Theodosii Imper. æqvalis, ad luxuriam non malè retulerit Fibulæ pulchritudinem; præcipueqve fœminarum ornamentis annumeratam fuisse credat doctissimus Thomas Dempsterus, Prudentium forsitan seqvutus, apud qvem in mundo feminæ, *Lib. 2. in Sym.*

—— *crinalis acus, redimicula, vittæ,*
Fibula, flammeolum, strophium, diadema, monile:

vix tamen cum ipso probaverim hanc ei fuisse originem. Viris enim ac feminis æqvè, imò magis, necessaria erat ad expeditiora vitæ munia, qvibus ii freqventiùs occupantur. Nec multum facit pro ejus sententia adductus Plinii locus, qvi affirmat *Fabricam etiam Deûm fibulas, & alia muliebris cultus, sicut inaures, in primordio factitasse, sine mentione anulorum.* *Nat Hist. L. 33. C. 1.* Hæc enim narratiuncula satis planè distinctas

De raptu Proserp. Lib. 2. continet ſententias, ſimulqve Claudiano de Venere Martis conjuge lucem adfert, qvando ait:

— *ſudata marito*
Fibula — —

Semeſt. L. 1. Cap. 16. ut vel ex eo acutè nimis doctisſimus vir Petrus Faber ad muliebrem cultum alligaverit verba Legis: *Dig. de aur & arg. leg. L. Argum.* *Fibulæ ornamentorum magis, qvàm veſtis ſunt.* Clarius alibi Naturalis Hiſtoriæ conditor: *xxv. initio.* *revehunt vitrea, & ahena, veſtes, fibulas, cum armillis, ac monilibus. Ergo negotiatio illa feminarum maximè fide conſtat.* *L. 12. C. 19.* At enim melior ſexus hic non excipitur. Optimo itaqve conſilio Phavorinus ſimpliciter: Πεϱόνη, κόσμ@ τι. *L. 7. C. 22.* Nec Jul. Pollux fibulas inter ſola ornamenta enumerat, verùm & inter veſtes muliebres reponit. Sed neq; viris poſterior cultus dignitas erat; qvum & ipſis, non minùs qvàm Fibulæ inter ornamenta *Jul. Poll. L. 5. C. 16.* muliebria, fuerint communes anuli; qvi primitus, antè ſublatum à Juſtiniano Imperatore diſcrimen, aurei Eqvitibus Romanis proprii erant, ut libertinis ac ſervis ferrei. Rectiùs in Gloſſa Accurſius Fibulæ addidit *Mantellorum*, hoc eſt, Penularum, *Cap. 16.* veluti Bayſius de Re veſtiaria explicat. Ita Julius *L. 7. C. 13.* Pollux: Μανδύη, ὅμοιόν τι τῷ καλουμένῳ φαινόλῃ. *Mandya ſimile qvid huic, qvod vocatur Penula.* *Capt. Sc. 3. Act. 3.* Latinam vocem Plauto receptam à tegendis manibus qvidam nomen traxiſſe putant. *Pand. Prætejus Lex. Jur.* Convenientius forſan à Græco Μαντίον, qvod veteribus Glosſis Paludamentum ſeu Chlamys dicitur: qvæ aperta omnino Fibulam deſiderabat. *Oneirocr. L. 2. C. 3.* Nam & Artemidorus: χλαῖναν, ἥν ἔνιοι μανδύην, οἱ δὲ ἐφεστρίδα, οἱ δὲ βῆρον καλοῦσι. Janus Cor-

Cornarius vertit: *Chlamys, quam alii Mandyan, alii Ephestridem, alii Bereon, vocant.* Lex in hanc rem nota traditur, *Fibulis quoq; in chlamydibus utantur iis, quæ solo auro & arte pretiosæ sunt.* Qvæ sanè verba adeò sunt aperta, ut mirer posteriores non expunxisse glossam, qvæ Accursii nomine indigna circumfertur. Qvid enim ineptius, qvàm Fibulas dixisse chlamydes? Virum diligentissimum nunqvam ita scripsisse, liberè contenderim. Jamq; diu sacros Legum Codices infinitis variarum scripturarum ineptiis temeratos, rectè Ludovicus Carrio notavit. Grammatista qvidam ea forsan ad oram allevit Qvaliter in qvibusdam libris apud me scriptis deprehendi, morosum hoc genus mortalium integram sepè contextus dictionem notis in marginem conjecisse. Nimirum, adscriptum forsan erat: *Fibulis ī chlamydibus.* Qvæ postea deceptus vicinitate ī, & i. notæ expositionis, typographus sic expressit, ut hodiè leguntur; *Fibulis, id est Chlamydibus*; qvum scriptor non aliud voluerit qvàm *in chlamydibus.* Sed neq; legis verba, sicut in libris editis, interpretationi præmissa leguntur in membranis consultissimi viri M. Aurelii Galuani in Æthenæo Patavino Doctoris celeberrimi, qvæ trecentos facile annos excedunt. Illud verò indumentum etsi mulieribus cum viris commune censeas, neutiqvam his tamen aptius negabis. Qvippe *Penulis intra urbem frigoris causâ ut senes uterentur, permisit Alexander Severus; qvum id vestimenti genus semper itinerarium fuisset, aut pluviæ. Matronas tamen intra urbem penulis uti vetuit, in itinere permisit.* Adde, Ammianum Mar-celli-

C. l. XI. nulli licere. L. 1.

Emendat. L. 1. C. 12.

Æl. Lamp. id. Sever.

Lib. 14.

cellinum conqveri, qvòd *alii summum decus in carrucis solito altioribus & ambitioso vestium cultu ponentes sudant sub ponderibus lacernarum, qvas in colli exserta fibulis ipsis adnectant.* Sic enim legendum credimus, utcunqve locum hunc legant alii. Qvin Jureconsultus Fibulam simpliciter ornamentis accenset, qvanqvam Lex ipsa comparationem includit: ea tamen solis mulieribus non deberi nemo ignorat. Civium ac Militum verò gestamen fatetur Fibulam Dempsterus ipse: licet Fibulas vincula magis qvàm gestamina ex Virgilio & Ovidio colligat Brissonius, qvia vestes adstringebant & subnectebant. Illud hac in parte minimè prætereundum, qvòd apud Bayfium indumentis adscribitur Clavus, qvi vestibus insuitur; Fibula verò eidem ad ornatum magis qvàm ad vestem facit. At eadem ipsi utriusqve notio. Nec satis video, qvî Fibula peculiariter ad mundum muliebrem transferatur; qvum ipso autore Ornamenta muliebria sint omnia ea, qvæ ad aliam rem nullam parantur, nisi corporis ornandi gratiâ, & Fibulæ tamen non minùs vestibus continendis appositæ, qvàm clavi, qvos Fibulis orbiculatis eosdem credit: qvamvis & Clavos asseveret dici, non qvòd revera essent clavi, sed qvòd referrent clavorum capita, qvæ nunc ex purpura, nunc ex auro textili, in tunicæ superficie assuebantur. Clavum verò purpureum atqve laxiorem tunicæ Senatorum fuisse annexum, longâ eruditorum observatione constat. Cujus ferè generis ornamentum fuisse Fibulam ex auro nulla ab ratione credidit incomparabilis Baronius, Nec enim, ut censuit ille, ex metallo ejusmodi

De Verb. signif. L. 6.

De Re vestiar. C. 22.

L. cit. C. 7.

De Vasc.

Ann. Eccl. C. 80. ad A. C. 34.

modi clavi fuerunt, ſed textiles, qvemadmodum è Feſto colligitur: cujus non minor erit autoritas, qvàm Ulpiani, qvi remotior à priſco ævo accuratam clavi rationem minùs noverat. Nec tamen Aldus Mannuccius Pauli filius propterea jure contendit intextos fuiſſe, qvòd Qvintiliano *clavus purpuræ loco inſertus:* qvandoqvidem & alio qvovis modo inſeritur. Lib. 8. c. 8.

Fibula autem ex ferro, orichalco, argento, auro, aut qvovis metallo inaurato ſeu lamellis aureis obducto primis temporibus facta erat, cujuscunqve generis veſtibus connectendis. Infimæ ſortis hominibus propria erat Ferrea, vel Ænea; etiamſi, referente Feſto, *infibulati ſacrificabant Flamines, propter uſum æris antiqviſſimum, æreis fibulis:* à qvo propter amiſſam, qvâ ceteroqvin id naturâ molle durabatur, peculiarem temperaturam, ad ferri neceſſitatem ventum obſervavit in Heſiodum Proclus, & poſt ipſum Jo. Zetzes. Ad religionem verò id procul dubio factum. Ex Apollodoro de Diis refert enim Theocriti Scholiaſtes omnibus in conſecrationibus & expiationibus veteres eo uſos. Qvod clarius docuit Macrobius: *Ad rem divinam pleraq; ænea adhiberi ſolita, multa indicio ſunt; & in his maximè ſacris, qvibus delinire aliqvos, aut devovere, aut deniq; exigere morbos volebant.* Mediocris fortunæ, ac milites gregarii ſeu manipulares in balheis aut phaleris Argenteâ utebantur; donec Aurelianus Imperator primus iis Aureas indulgeret. Ditioribus poſtea, etiamſi privatis, Civibus & Nobilibus, Leonis Au-

De Verb. ſignif.

Eid. 2.

Saturnal. L. 5. C. 19.

Flav. Vopiſc. aurel.

E guſti

gusti decreto concedebatur Aurea, Principibus freqventior. Ita Didoni apud Optimum Poetam

Æn. 4.

Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

Liv. Lib. 27. Scipio etiam Numidæ regii generis puero ab Romanis capto anulum aureum, tunicam lato clavo cum Hispano sagulo & aurea fibula, eqvumqve ornatum donat. Ea verò gliscente in militia luxu tantâ sese

Hist. Nat. L. 33. C. 3. insinuavit familiaritate, ut frementes M. Bruti Epistolas in Philippicis campis repertas memoret Plinius, qvòd Fibulæ Tribunitiæ ex auro gestatæ. Imò, ne lictori qvidem graphicè descripto eam tribuere

Epist. 49. veritus est D. Hieronymus, apud qvem mulier ad carnificem de fibula: *en tibi ex humero aurum ruit.* Qvem sagatum fuisse indicat Varronis illud Virgulâ divinâ in Nonio Marcello: *Cùm neq; aptam mollis humeris fibulam sagus ferret.* Hanc tamen antiqvissimis gentibus longè antea innotuisse multorum loco unus mihi testis sacer ille Musarum spiritus suffi-

Od. σ ciet Homerus; apud qvem *περόναι χρύσεαι* reperiuntur; qvas Sophocles prudentissimus Poetarum signi-

Oedip. v. 1262. ficantiùs dixit *χρυσηλάτους*, hoc est, ut ego interpretor, *malleo ductas ex auro*, ne qvis inauratas aureisvè

De Socrat. Deo, Lib. 1. Cap. 4. duntaxat bracteolis tectas suspicetur: qvaliter Apulejo *Cingula aurata*; non, *aurea*: neve auro vinctæ intelligantur; de qvibus Euripides, qvamvis id non

Phœnis. v. 811. anmadverterit doctissimus Interpres:

ὤφελες Οἰδίποδα ϑρέψαι βρέφος ἔκβολον οἴκων,
χρυσοδέτοις περόναις ἐπίσαμον.

Debueras Oedipum alere infantem ejectum domo,
Aureis Fibulis insignem.

In

In hanc mentem Statius: *Theb. 9.*

—— —— tereti ligat aurea morsu
Fibula pendentes circum latera aspera amictus.

Ipsarum aciem venustè expressit ingeniorum artifex Homerus de Venere: *Ιλ. δ.*

πρὸς χρυσῇ περόνῃ καταμύξατο χεῖρα ἀραιήν:
Aureâ fibulâ laceravit manum mollem.

Innotuerunt & ipsi ζωστῆρος ὀχῆες χρύσειοι, Joanni *Ibid.* Spondano rectè *Balthei fibulæ aureæ*, sive ex auro obryzo factæ. Qvidni etiam Cinguli? Ita enim doctissimus inter Græcos Criticorum Hesychius; ὀχῆες, οἱ συνέχοντες τὴν θωρακοζώνην κρίκοι. Qvin gemmis distinctas virtutis incitamento distributas, non obscurum est ex agone funebri, qvem virili spiritu adumbravit Maronis genius:

—— late qvem circumplectitur auro *Æn. 5. v. 312.*
Baltheus, & tereti subnectit fibula gemmâ.

Baltheus autem, notante ad hunc locum Servio, non modò cingulum est, sed etiam zona ex qva arma dependent. Unde D. Hieronymus de centurione Cornelio: *Lib. 2. Ep. 22.* *Baltheo posito habituq; mutato qvidqvid castrensis peculii fuit in pauperes erogavit.* Itemqve ad Salvinam: *Lib. 3.* *Nihil nocuit militanti paludamentum, & baltheus.* Huic nihil cedit Statii illud: *Thebaid. 7.*

—— —— fibula rasilis auro
Tænariam fulvâ mordebat Jaspide vestem.

cui vicinum Claudiani: *De Raptu Proserp. L. 2. v. 40.*

Collecta tereti nodantur Jaspide vestes.

Theb. 12. Papinio etiam

— — *ignea gemmis*

Cingula — —

Pronius tamen est credere Gemmeam, qvalem Poetæ fortassis libuit Augusti Cæs. depingere, Fibulam Imperatoribus fuisse propriam, ac in vestitu Imperatorio pretiosissimam. Ita Galienus gemmatis Fibulis & aureis usus est, qvamvis alii legant: *nisi gemmatâ fibulâ usus non est.* E diverso Adrianus ipse sine auro baltheum sumsit, sine gemmis Fibulas strinxit. Joannes Federicus Gronovius præcellentis ingenii amicus interpretatur, *fibulis vestes strinxit.* Qvid verò fibulas non stringeret Imperator? Fibulas verò aureas gemmis fuisse stellatas ostendit Trebell. Pollio Gallieni exemplo, qvi *cum chlamyde purpurea gemmatisq; fibulis & aureis Romæ visus est.* De qvibus omninò accipiendum rectè censet Salmasius Flori illud: *vestis ingentibus obstricta gemmis* Solam tamen gemmam interdum Fibulæ vicem sustinuisse notat idem ex Vopisco de Carino: *nisi gemmâ, fibulâ usus non est.* in qvam fortè sententiam trahi poterit allatus modò Poetæ versus: qvanqvam laudatus nuper ingeniosissimus vir Fibulas mulierum plerunqve tales fuisse putat. De hoc eqvidem Fibularum genere non verebor intelligere Trebellium Pollionem: *Ad conciones galeata processit, cum limbo purpureo gemmis dependentibus per ultimam fimbriam, mediâ etiam, cochlide, veluti fibulâ muliebri adstrictâ, brachio sæpè nudo. Cochlis* enim, sive concha unionis, aut si cum Plinio lubet gemma arte facta, Zenobiæ erat fibulæ loco, qvemadmodum hunc locum Casaubono ceteroqvin per-

Marginal notes: Treb. Poll. Galieno. — Æl. Spart. Adr. — Ad Stat. L. 3. Silv. 4. c. 34. — Not. Treb. Poll. p. 199. v. 15. Zenob. — Nat. Hist. Lib. 37. c. 12.

perſpicacisſimo inexplicitum Salmaſius magno judicio aſſeruit adverſus eos, qvi cochlidis loco Cycladem repoſuerunt, nihil à limbo diverſam: qvum tamen *Cyclas*, Græcis κυκλὰς, auro texta veſtis muliebris ſive tunica rotunda, hoc eſt, circa imas oras concluſa, matronis olim Romanis uſitata fuerit. Propertius: L. 4. El. 7.

Qvæ modò per viles inſpecta eſt publica noctes,
Hæc nunc auratâ cyclade ſignat humum.

Sid. Apollin. *Cyclade pronuba honoratur.* Tantus verò L. 1. Ep. 5. Fibularum apud Cæſares erat numerus, qvæ non aſſutæ panno veſtibus exemtæ ſeparabantur; ut vel hinc inter miniſteria Palatina ex inſcriptione veteri Inſcr. Antiq. apud eruditisſimum Gruterum recenſeatur *Præpoſitus à Fiblis*, 474. 4. qvas Jacobus Gutherius veſtis cœnatoriæ intelligit. De offic. Dom. Aug. Lib. 3. Cap. 29. Hanc tamen vocem Henricus Smetius politioris literaturæ Medicus è Græco translatam putavit: Jacobus Gutherius à Græco φίβλη per L. d. ſyncopen derivat. In Heſychio eſt: φίβλα, πόρπη, φικίον. Nec Phavorinus aliter, qvi addit πεόνη. Nunqvid φιβλίον? Utrumq; enim apud poſteriores Græcos reperitur. Lexicon Græcolat. vetus; φίβλα. Phavorinus magis perſpicuè: Πόρπη, ἡ παρὰ ῥωμαίοις φίβλα. Et vetus Gloſſarium: *Fibula*, Πόρπη, Φιβλίον, φιβλοῦν etiam idem eſſe qvod *Infibulare* & fibulis adſtringere ſignificavit Æmil. Portus in Suidam, qvi ait: Πόρπη, ἡ παρὰ ῥωμαίοις φίβλα. Qvin Latinæ qvoqve literaturæ contractum hoc eſſe verbum apparet ex eo, qvod Cælius Apicius ſcribit: *chartâ præcludes, & infiblabis.* De Re Culin. Lib. 8. Cap. 7. Et mox: *chartâ obturas, & fiblas.* Item: *porcellum praduratum imples, fiblabis, &c. Coctò*

 fiblas

fiblas tolles. Ubi Gabriel Humelbergius præter autoris mentem *Infibulare* idem putat qvod cingere, circumdare, à fibula, qvæ cinguli ad veſtem ſubligandum ornamentum eſt. Optimè namq; ſemet *[Cap. 12.]* explicat Apicius locis infra citatis. Sic enim omninò fuiſſe in meliori Codice credibile eſt, qvemad- *[Antiq. noviq; Lat. Orthogr.]* modum notavit bonæ fidei ſcriptor Claudius Dansqvi, jamq; in veteri fragmento mei MS. lego; immutatum verò in communem dictionis formam ab iis, qvi nihil non ſibi in voces parum notas licitum arbitrantur. Hac ſermonis conſvetudine Fl. Vopiſcus *Fiblatorium* dixit; qvomodo & Cl. Salmaſius in *[Icone IV.]* Trebellio Pollione legit: Anaſtaſio Bibliothecario *Fibulatorium.* Apud Suidam eſt φιβλατώριον, περιβόλαιον *[Amalth.]* Περσικὸν. *Pallium Perſicum*, Joſepho Laurentio *Amiculum Perſicum* ex Anaſt. Gloſſ. qvod Portus à Fibulis, quibus conſtringebatur, appellatum exiſtimat. Iſtius muneris præſtantiam non obſcurè indicant veteres libertorum tituli, qvi Principibus à *veſte* PRIVATA & REGIA fuerunt; qvalis RHODANUS Cæſaris verna, & alii. Qvæ eò processit, ut veſtiario præfectus Sacræ veſtis Comes Cubiculariis ab Arcadio & Honorio adſcriptus perhibeatur. Nec poſterior ætas ab hoc ornatu longè diſcesſit. Boamundo namqve in fidem recepto *ex Imperialibus veſtiariis oblata munera in auro, veſtibus, vaſis, & pretioſis lapidibus, tam pretio, qvàm in dignitate incomparabilia,* *[L. 2. c. 15.]* autor eſt Wilhelmus Tyrius de Bello Sacro. Phavorinus etiam notavit Βεστιάριον, ἐν ᾧ τὰ βασιλικὰ ἱμάτια φυλάσσεται. In ejusmodi igitur ſcrinia dum recondebatur omnis Imperatorum cultus, qvidnî pari curâ

Fibu-

Fibulæ? Tale qvid innuit Metellus, ampliori forsan veritatis laude, qvàm eloqvii nitore notus Poeta:

Fibula, qvam chlamydis qvasi comtior imperialis
Fert locus imperii specialis.

Regiis hanc etiam insignibus accenset S. Asterius: *Chlamydes conqvire Regias, qvamplurimas sanè reperies, qvæ Regum multorum corpora texerint, qvod & de coronis, fibulis, zonis censendum.* Aventinus qvoq; Carolum Magnum in solennitatibus fibula aurea sagum adstringente usum refert. Sua igitur cuilibet sexui pro dignitate & fortuna olim erat Fibulæ materia. Et qvidem opinione qvorundam satis dubia, primùm Tribuni vetusto Romanis Legionibus more solas gestarunt aureas; deinde pueri; mox cives; posteà milites gregarii; ac demum iis donati eqvites, à Senatoribus clavi qvalitate distincti. Unde Martialis: *Homil. 2. de Occon. iniqv.* *Anal. Lib. 4.* *Lib. 5. Ep. 52.*

Theatra loqveris, & gradus, & edicta,
Trabeasq; & Idus, fibulasq;, censusqve:

Ubi togæ purpureæ fibulam cum Brodæo satius erit intellexisse, qvàm cum Calderino vestes theatrales, vel scenicas actiones: qvanqvam chlamydi malim aptatam. Parum fortassis à vero abierim, si primam Fibulæ aureæ vel gemmeæ originem ex veterum Sacris repetierim. Supremo nempè Sacerdoti dilecti populi talem omni magnificentiâ sub mysterii velo adornatam imperabat Dominus. Qvod Reges deinde imitatos verisimile est, penes qvos diu Sacrorum jus mansit, ac postea Imperatores, diversarumq; gentium primates; donec tandem crescente in dies *Misc. L. 10. c. 27.*

luxu

luxu ſingularis Fibularum uſus in communem transiret. At mirum valdè in tanta varietate ſolas propè æreas in noſtrum veniſſe conſpectum. Qvales Vir integerrimus Laurentius Pignorius ſe tantùm vidiſſe fateri non dubitavit; pariterqve Claudius Menetrius etiamnum Romæ verus Antiqvitatum condus. Et qvidem hæ ſatis raræ, imò apud curioſiſſimos etiam Antiqvarjos nullæ. Aureæ de veteri qvodam conditorio à ſe viſæ ſpeciem expreſſam CAROLO EMANUELI Sereniſſ. Sabaudiæ Duci transmiſſam refert in vario de rebus deperditis Opere Vir Clariſſ. Guidus Pancirolus. Hujus verò raritatem maximè arguit apud Trebellium Pollionem Valeriani ad Zoſimionem Syriæ Procuratorem Epiſtola, qvâ inter ampliſſima ceteroqvi munera Dec. Claudio Qvintæ Legionis Martiæ Tribuno adſignat Fibulas argenteas inauratas duas, fibulam auream cumacum Cypream unam. Meræ tenebræ, qvidqvid Marcellus Donatus de ornatus inſtrumento ex Cuma urbe hariolerur: niſi pro extremis reponatur, *cum acu cuprea*, vel *cypria*, ut eſt apud Marcellum *Burdegalenſem*: qvaliter Plinius jubet medicamentum aſſervari in Cypria pyxide; qvam Valerianus alter *æream* dixit, qvi aliàs præcipit hirudinis pullos excœcari acu cyprinâ, qvam Valerianus cyprinam appellat. Palladius Rutilius cuprinum etiam clavum, qvem Scribonius Larguscyprii æris, appellat. Cuprum enim Georgius Agricola Spartiano Æs dictum notat à Cypro inſula, ubi effoditur. De qva Feſtus: *Æroſam appellaverunt antiqvi inſulam Cyprum; qvòd in ea plurimum æris naſcatur.*

Marginal notes: *De Servis. Pag.* 81. — *L.*1.*C.*44. — *Claud.* — *De Med. c.*8. — *Nat. Hiſt. L.*28.*C.*8. — *De re med. L.*1.*C.*25. — *L.*3.*C.*46. — *L.*1.*C.*18. — *De re ruſt. L.*2.*Tit.*16. — *Compoſ.*16. — *De Vet. et N. Metal. L.*1.

Verùm

Verùm ea fortaſſis erat ſeculi frugalitàs. Infreqventia deſvetudini poſtea pretium addidit, dum aliis uſibus eæ conflarentur. Juſtiniano autem imperante, Venetæ factionis protervia hanc in primis creviſſe narrat Procopius: Ἀφαιρούμενοι τοὺς παραπεπτωκότας, τάτε ἱμάτια ζώνας τε, καὶ περόνας χρυσᾶς, καὶ εἴ τι ἄλλο ἐν χερσὶν ἔχοιεν. Et poſt: Ἐπεὶ δὲ οὐδὲ αὐτοὶ ἀπαθεῖς ἔμενον, καὶ ἀπ' αὐτοῦ χαλκαῖς τὸ λοιπὸν ζώναις τε, καὶ περόναις, καὶ ἱματίοις πολλῷ ἐλασσόνως ἢ κατὰ τὴν ἀξίαν, ὡς πλεῖστοι ἐχρῶντο, ὅπως δὴ μὴ τῷ φιλοκάλῳ ἀπόλωνται. Nicolaus Allemannus Vir doctiſſimus, cui iſta lucem debent, ſic vertit: *Obvios qvosq; innoxios viros deprædabantur, palliis, baltheis, aureisq; detractis fibulis, & qvidqvid eſſet præ manibus.* Paulò poſt: *Ut verò nec ipſi abibant impunes, exinde pleriq; æreis fibulis baltheisq; uti ceperunt, nec non veſtibus longè qvàm pro dignitate vilioribus, ne vita inſidiaretur ornatus.* De Ferreis qvid dicam, qvantumvis vilioribus imaqve plebe dignis? Junium qvidem hominem nigrum & macrum & pandum Fibulam ferream à Sarmento ſeu Publio Bleſſo nominatum ſcribit Qvintilianus. Sic autem, qvisqvis hic fuit, occultis aperta demonſtravit. Neqve enim opinatu facile eſt, qvam is intellexerit Fibulam; Architectonicam, an Veſtiariam: niſi huic fortaſſis robur ſimilitudinis adjecerit veterum jocus in Lentulum, Ædilem, & Conſulari dignitate clarum, qvem Spintherem appellârunt. Fibulam humerariam rectè exponit Priſcianus. Feſtus enim facit *Armillæ genus, qvod mulieres gerere ſolebant brachio ſummo ſiniſtro.* Ita Dionyſius Halicarnaſſeus de Sabinis Virginibus. Qvâ ratione Græcis non ineptè

Hiſtor. Arcan. Anec.

Inſt. Orat. L. 6. C. 3.

Plin. Nat. Hiſt. L. 9. Cap. 39.

Dio. Hiſt. Ro. L. 39.

Antiq. Rom. Lib. 2.

Ἀκροχείριον vocatur: qvamvis & ἄκρον non modò ſummum, ſed extremum etiam denotet. Unde Hippocrati ἀκρόχειρ pars brachii à cubito ad extremitatem usqve digitorum. Verùm Priſciani ſententiam confirmant veterum ſtatuæ, in qvibus humerum verſùs armillæ anulis qvibusdam jungi videntur. Exinde Januenſis non ineptè Fibulam ſeu Armillam interpretatur; qvamvis idem: *Pectoris eſt ſpinter propriè.* Plautus aureum duxit Menoechm. Sc. 3. Act. 3. neqve ejus uſum Sc. 9. Act. 5. præteriit. Cujus forſan generis D. Aurelianus militi conceſſit torqvem brachialem. Germanos autem priſcos ceterosqve barbaros fabricaſſe ejusmodi fibulam, nihil ab re alienum arbitror: qvandoqvidem iis ante Romanos notior erat ferri uſus. Nec Romæ hujus generis in Muſeo Franciſci Gualdi Ariminenſis S. Stephani Eqvitis exemplum deeſt; cujus infra mentio fiet. Rarius eſt, qvod Bapt. Mantuanus Poeta non vulgaris Fibulam ſplendidioribus Eburneam adſignet: niſi hoc nomine, veluti Lyricus vates, Synecdochicè qvamlibet rem pretioſam ſignificare voluerit. Qvaliter etiam Ovidius:

Flav. Vopiſc. Aur.

Horat. L. 2. Od. 18.

Epiſt. 1.

Hunc Venus in cœlum curru vexiſſet eburno.

Tibullus item:

Lib. 1. Eleg. 7.

At te victrices Lauros, Meſſala, gerentem
Portabat nitidis currus eburnus eqvis.

Heliogab. Sat. 10. Periplo.

Vehicula tamen eborata nominat Spartianus: & Juvenalis *ſceptrum eburnum*. Æthiopes qvoqve memorat Scylax Caryandenſis uti pro ornatu eburneis phialis: Mulieres armillis eburneis, Eqvos eburno orna-

ornari. Tacitus etiam eburnam Germanici effigi- *Ann. II.*
em memorat. Buxeam qvoqve in Anachoretis sub-
inde conspicimus. Utramqve Jov. Pontanus indicat:

— *Alcon cui tortile collum* *Dial. Anton*

Nectit ebur, levi stringit nova fibula buxo.

Nec mortalium primos sic ingenio destitutos fuisse
credo, ut non operis ac pretii compendio sibi spinâ
vestem strinxerint. Opinionem mihi Tacitus con-
firmat de veterum Germanorum moribus ita disse-
rens: *Tegumen omnibus sagum Fibulâ, aut si desit, spinâ
consertum.* Ejus speciem laboriosus pariter atqve
accuratus nostri ævi Geographus Philippus Cluveri- *L. I. C. 16.*
us in Germania Antiqva exhibuit. Qvam populis *Ico. 3. 8. 9.*
Daniæ vetustissimis pariter in consvetudine fuisse
manifestat Olaus Wormius, celebris in Regia Hafni-
ensi Professor Medicus, in Dissertatione de prisca
Dan. Poesi, ubi *Thorn*, qvod isti nationi hodiè spi-
nam significat, fibulæ in zona aciculam exponit. Sed
& constanti fama pervulgatum, Samoitis acuum lo-
co esse spinas piscium.

Hisce de Materia missis, qvibus alieno exem-
plo sine fructu nolui diutiùs insistere, Fibulæ For-
mam pernovisse magis ad rem erit. Circularis ea
qvibusdam sive Anularis, ût vult Hieronym. ab A- *Oper. Chir.*
qvapendente. Rectiùs fortassis Magio ferè circula *Miscell. L.*
ris. Nec magna hic addubitandi ratio, si verum *4 Cap. 20.*
Thurii Historici illud apud Julianum Imperatorem: *Epistol. ad*
Ὦτα ἀνθρώποις ὀφθαλμῶν ἀπιςότερα. Etenim, qvas *Leontium.*
pro summa necessitudine sæpiùs apud Pignorium
reconditæ Antiqvitatis famâ celeberrimum inspexi,

ſemicirculares erant omnes variis qvidem icunculis diſtinctæ, unâ tamen fermè figurâ ad arcum accedentes, præter eam, qvæ qvadrangulum inæqvale propè longiuſculum repræſentat: cui ferè ſimilis apud Platerum ſervatur. Omnes erudito de SERVIS Commentario publicæ jam dudum notitiæ cum reliqvis rarioribus eximii Viri non ita pridem fatali Italiæ peſtilentiâ ſublati ſapientiſſimus Senator Venetus Dominicus Molinus, omni laude major Muſarum Patronus, ex teſtamento habuit: qvo poſteà mortalitati erepto, jam dignâ primis poſſeſſoribus exiſtimatione apud Illuſtriſſimum Gaſparem Coignet Dn. de Thuilerii Chriſtianiſſimi Regis ad Sereniſſimam Rempublicam Venetam nuper Legatum reſervantur. In earum numero una eſt ſimpliciſſima, ei perſimilis, qvæ à Paulo Petavio eruditæ antiqvitatis alioqvin ſatis perito Graphii nomine exhibetur. Qvam ſanè obſervatiunculam prætermittere nolui, qvòd Pignorius intra ſummam eruditionem modeſtiſſimus à me propoſitam olim admiſerit. Ac ne qvàm par eſt longiùs his immorer, veram hujusmodi Fibulæ fabricam interprete Latino ſic expreſſit Pancirolus αὐτόπτης: *Inferius & externâ parte grandiorem habebat acum cum areo aut aureo ſilo, qvo efficiebatur, ut illa absq; ulla difficultate qvaſi fluctuans vagaretur, ipſius praſertim cuſpide in canalscu-*






la, qvæ

la, qvæ in altera fibulæ parte erat, impressa. Huic tamen descriptioni parum detrahunt, qvas in statuis notæ vetustatis circulares observare licuit



omnes. Qvalem ferè ad Procopii Anecdota dedit humanissimus Vir Nicolaus Allemanus. Iniqvum enim foret archetypo minus esse fidei, qvam pictorum aut sculptorum licentiæ. Ejusmodi tamen figuram ad cælatoris omninò arbitrium ne fictum putemus, adducor potissimùm miro veterum artificum studio, qvo sui qviqve seculi mores ad vivum effingere satagerunt. Sed hæc alterius loci. Majorem certè meretur observationem, qvod nondum ab aliis notatum juxta raram Antiqvitatum cognitionem Vir optimus Nicolaus Fabricius Peireschius Regius in Aqva-Sextiensi Curia Senator pridem ad eruditissimum Gabrielem Naudæum perscripsit. Fibulam vetustiorem unco dextâ lævaqve incurvam semel sibi oblatam. Talis forsan ea, cujus omnium nuperrimè mihi copia fuit singulari beni-

gnitate ampliſſimi Eqvitis Caſſiani à Puteo, cui & magnam reliqvarum partem adſcribo. Ad acus præterea retinaculum canaliculam apte foratam ſemel Patavii obſervare contigit in fibula, qvam civis meus magno patri cognominis Gaſpar Bartholinus Romæ conqviſierat. Hujus notæ ſatis elegans, ſed acu mutilata, è ruderibus Auguſtæ Rauracorum in muſeo



Plateri Baſileæ ſpectatur: Eidem pariter inſtituto apud Illuſtriſſimum Æmoniæ Præſulem Jacobum Philippum Tomaſinum canaliculam notavimus reliqvis longiorem & profundiorem. Faſtidium verò Lectoris qvum varietate vincendum cenſeam, diverſas hìc placuit Fibulæ ſpecies eâ religione deſignari, ut ſuo qvævis poſſeſſori ingenuâ confeſſione reddatur. Inter eas jure primùm ſeſe offerunt, qvæ Venetiis qvon-

qvondam in ſacrario Illuſtriſſimi Dominici Molini repoſitæ: ſeqvuntur qvæ, hoc ipſo anno cum urna ænea in agro Molvenæ pagi ad tertium ab oppido Baſſano lapidem effoſſæ, in armariis viri nobilis Hieronymi Gualdi Patavii ſpectantur. Has amœnitatis varietate meritò ceteræ excipiunt Romæ in Muſeo præſtantiſſimi Claudii Menetrii Viſuntini, qvi ob inſignem omnis Antiqvitatis rerumqve Naturalium ſcientiam apud eminentiſſimum Principem FRANCISCUM BARBERINUM Romanæ Purpuræ decus ſingulari gratiâ valet. Omnium verò tandem acceptiſſima, cujus ectypum pario Eqvite à Puteo è pinacotheca Conſultiſſimi Martii Mileſii Nobilis Romani pridem habui; quia non ſolùm Peireſchii obſervationi accedit, ſed Panciroli qvoqve conjectationem roborat, qvandoqvidem ea ſine acu veſtem ſolâ videtur obliqvitate ſtrinxiſſe, vel uti nodo etiam, qvæ apud Bartolum Bartholinum ſervatur.



Qvo

Æn. 11. Qvo modo fortasſis Poeta:

—— croceam chlamydem, ſinusq́; crepantes
Carbaſeos fuluo in nodum collegerat auro.

Ab ea parum abeſt, qvam partis ejus ſpecie, qvam honeſtè nominare vix poſſumus, nuper ſuggesſit elegantisſimi ingenii Petrus Bourdelotius, ad magni Patrui exemplum formatus. Additur demum non inferioris elegantiæ alia, teſſellato umbone varie diſtincta, qvam in agro Clivenſi repertam florentis eloqvii Zuerius Boxhornius meritò inſeruit ſuis in Plutarchi Qvæſtiones Romanas Animadverſionibus; in qvas commodè incidi, poſtqvam ceteræ vix tandem apud me dimisſionem impetraſſent. Nec dubito qvin ſera poſthac ætas plures eruat, qvas olim ſuo ſibi qvisqve arbitrio fingebat. Cujus generis nuper Casſiani à Puteo humanitate J. Philippus Tomaſinus alteram teſtudinis forma ſtringendo collari, Gothici characteris alteram veſti aptam, Romæ invenit. Reliqvis orbiculata nihil ingratior ab Illuſtri Viro Franciſco Gualdo Eqvite miſſa: cui ſymbolam addere placuit Viris Clarisſimis Joanni Baptiſtæ Caſalio, & Franciſco Angelono; ubi Fibulæ non chlamydi tantùm, ſed virgulâ ad laminæ anguſtæ medium reflexa baltheis etiam commodæ, atqve parum diverſæ à noſtra conſvetudine occurrunt: cui adfiniorem ſine lingula adhuc Patavii ſervat amicus noſter Franciſcus Urſatus, vir nobilis antiqvitatum curioſisſimus. In Dalmatica Oveni Bilde, Sapphirus in medio fibulæ gemmis diſtinctæ conſpicitur, qvam Th. Bangius Hafniâ miſit anno 1649. Et qvid non priſcis debemus?

Nea-



Neapoli omnium novisſimè Henricus Ernſtius Vir conſultiſimus antiqvam ex ære Fibulam circuli figurâ attulit ſolâ magnitudine differentem ab ea, qvâ hodie populi qvidam interulas præſtringunt. Qvalem etiamſi indumentis adhibuerint veteres, neſcio tamen qva de cauſa cum Baronio Balthazar Paez vir doctisſimus, & Antonius Monachus De No-

minibus Vestium, anulum aureum in Epistola Jacobi Cap. 2. vers. 2. Fibulam auream exponat. Ut enim omittam aperta satis divini Spiritus verba; ἐὰν γὰρ εἰσέλθῃ εἰς τὴν συναγωγὴν ὑμῶν ἀνὴρ χρυσοδακτύλιος ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ: qvæ de anulo optimè acceperunt Jacobus Gordonus & Tirinus eruditi Sodalitatis Jesu Theologi: qvid facit Rationale summo Sacerdoti peculiare ad splendidam divitum vestem, de qva hîc Apostolus? qvid etiam Fibulæ aureæ usus, Josepho teste, solis Regi agnatis concessus, qvandoqvidem hoc loco de communi usu anuli agitur? Et qvis Græci sermonis vel mediocriter peritus animadvertit, qvòd aureum gestans in digito anulum verè sit χρυσοδακτύλιος: siqvidem δακτύλιος, ὃν φοροῦμεν, ut habet Lexicon Græcolatinum vetus, propriè eum notat anulum, qvo digitus ornatur, qvi Periplo Ponti Euxini autoris incerti δάκτυλος δακτύλιος; sed lectione Isaco Vossio juveni doctissimo non meritò suspectâ: ut Jure Plinius affirmet, qvòd Græci à digitis appellârint anulum; cujus nullus usus in pallio. Hujus rationem non obscurè indicavit Benedictus Floriacensis, seu qvisqvis alius, qvi eum à Fibula distinctè in Excerptis vocum Græco-latinarum inter Aurea reposuit. Rectè igitur Apostoli Interpres anonymus: *Nam si ingrediatur in cœtum vestrum vir aureum gestans anulum, veste indutus splendidâ.* Syrum Guido Fabricius adhuc distributiùs convertit: *Nam si qvis introierit in congregationem vestram, qvi anulos aureos habeat, aut perpulcra vestimenta.* Lunatam qvidem Fibulam reliqvis freqventiorem ingeniosâ Aciæ explicatione verè censet interiorum literarum peri-

Nat. Hist. l. 33. c. 1.

peritissimus Jo. Jacobus Chifletius. Qvalis forsan *Epid. Act. 5.*
Plauti *Lunula*, qvam Lambinus & Douza rotundam *Sc. 1.*
lunæ more gemmam putabant. In hanc opinionem ducit me præclarus Prophetæ locus, qvi postqvam gemmas in fronte pendentes inter ornamenta mu- *Es. cap 4. v. 21.*
liebrria disertè potuisset, Lunulas nominat. Ubi Andr. Osiander ex Hebræo *fibulas* adjicit. Melius qvàm Isidorus, qvi Origin. Lib. 19. Cap. 31. ait: *Lunulæ sunt ornamenta mulierum in similitudine lunæ bullulæ aureæ dependentes*; qvamqvam videtur legisse D. Hieronymi vestigia. Hinc Tertullianus: nullam de *De cultu feminarum lib. 2. c. 10.*
conchylio vestem Esaias increpet, nullas lunulas reprobet. Cyprianus pariter cincinnos, & lunulas, & *De habitu & disciplina Virginum.*
discrimen, & armillas habet: neqvicqvam *discriminalia*, velut ex MS. diligenter notavit Gronovius: etsi *Observ. l. 3. cap. 24.*
Jacobus Pamelius receptam diu lectionem tribus MSS. confirmat. Nec D. Chrysostomus forsan accuratior ad hunc locum ait, cultum in speciem lunæ semiplenæ ad cohonestandam cervicem. Cui consentiens D. Basilius ait: *Μήνισκος τοίνυν κόσμος ἐστὶ χρυσοῦς περιτραχήλιος, κυκλοτερῶς ἀπειργασμένος, ὃν περιτιθέμεναι αἱ γυναῖκες γυμνὸν ἐπιτηδεύουσι προδεικνύναι τὸν τράχηλον.* *in Cap. 3. Esaiæ.*
Lunula igitur muliebris est mundus, & is aureus, ambiens collum & in formulam orbicularem effectus, qvem sibi circumponunt mulieres, dum sedulo accurant palam ostentare collum. Vellem autem docuisset Hadrianus Junius cetera multiscius cur annulum *In Nomenclatura*
purum interpretetur: qvem Philippus Paræus an- *Lex. Crit.*
nuli lapillum statuit. Vidimus & Patavii apud Bartolum Bartholinum omnis elegantiæ studio-

sum allatam Roma fibulam fritilli more tessellis variegatam, qvæ utraqve fronte lunata. Qvòd verò



Περόνη lingulâ plerumqve fuerit armata, præter αὐτοψίαν suo loco ἀξιόπιστος declaravit Herodotus; evidentissimusqve in id Sophoclis Poetæ vetusti locus exstat.

> Ἀποσπάσας γὰρ εἱμάτων χρυσηλάτους
> Περόνας ἀπ' αὐτῆς, αἷσιν ἐξεστέλλετο
> Ἄρας ἔπαισεν ἄρθρα τῶν αὐτοῦ κύκλων.

Vitus Vvinsemius inter alios benè traduxit:

> *Nam cùm avulsisset à vestibus aureas*
> *Fibulas, qvibus illa ornata erat,*
> *Cæpit iis arreptis oculorum orbes fodere.*

Polyb.c.40. Ita Solinus de Chamæleonte: *visum obtutu rigidi orbis intentat.* Ubi Salmasius eruditè orbem, qvi alioqvin iridem notat, Græcorum more pro oculo accepit. Eam dictionis rationem Lactantio etiam optimo inter Christianos Rethori non displicuisse video: *Ineffabilis divinæ providentiæ virtus fecit duos simillimos orbes, eosq́ ita devinxit, ut non in totum converti, sed moveri tamen ac flecti cum modo possent.* Ita D. Hieronymus: *Videas plerosq́ rabido ore sævire, & tinctâ facie, viperinis orbibus, dentibus pumicatis, carpere Christianos.* Inde Hesychius verè: Κύκλοι, ὀφθαλμοί. Eleganter Virgilius de Tisiphone,

De Opific. Dei C. 8.

Lib. 2. Ep. 9.

Culic. v. 220.

> *Sangvineiq́ micant ardorem luminis orbes,*

Pla-

Planior Lucanus: *Pharsal. lib. 2. v. 184.*

— Ille canis evolvit sedibus orbes,
Ultimaq; effodit spectatis lumina membris.

Horum fortassis exemplo de Theodorico Gothorum Rege venustè Sidonius Apollinaris: *Geminos orbes bispidus superciliorum coronat arcus*; qvæ ipsa D. Hieronymus etiam per *orbes stibio fuliginatos* expressit. Doctissimus tamen Grammaticorum Servius meâ sententiâ non malè oculorum *Sinus* intelligit. Qvo modo Lucanus: *oculi lævum descendit in orbem.* Euripides clarior Sophocle. *L. 1. Ep. 2.* *Æn. 4.* *lib. 6. v. 216.*

Μαθὼν δὲ τᾶμὰ λέκτρα μητρῴων γάμων
Ὁ πάντ᾽ ἀνατλὰς Οἰδίπους παθήματα,
Εἰς ὄμματ᾽ αὐτοῦ δεινὸν ἐμβάλλει φόνον,
Χρυσηλάτοις πόρπαισιν αἱμάξας κόρας.
Cùm cognovisset autem se maritum esse matris
Oedipus, sustinens omnia mala,
Eruit sibi oculos suos,
Aureis fibulis cruentans pupulas.

Phœniss. v. 59.

Sic in Metamorphosi Apuleii, *mulier acu crinali capite deprompta Thrasylli convulnerat tota lumina.* Sed reliquis adhuc dilucidior Oppianus βλεφάρων κύκλον *palpebrarum circulum* nominavit. Ubi tamen Conradus Rittershusius in Sylburgii Codice M. S. legit τὰ ὄμματα. Qvod ego veriùs Glossema suspicor. Qvin magnus ille Iul. Scaliger, de Fibula consultò tractans, eam solius acus nomine dignari videtur, dum ait: *Talis acus area, vel aurea, qva in anulo transversa transadigit corrigiam ad cincturas.* De qva intelligendus procul dubio Plutarchus, qvando memorat *Lib. 8.* *Halieut. L. 2. v. 6. 49. 93.* *Exerc. 329.* *Pyrrho.*

qverno cortici indigentiam pueri fibula perſcriptam. Solam qvoqve Acum propriè Fibulam eſſe cum Iſaco Caſaubono cenſuit Bernardinus Baldus. Verè qvidem Scaliger: nimis tamen anguſtè. Non enim ad ſolum cinctum, ſed ad veſtem ſimul ejus uſum extendi commodum erat: in qva, veluti etiam in cingulo, ſi non annulus ſemper, tamen aliqvid certè, qvod ipſi uſu reſpondeat, fulcimenti causâ atqve ad liberiorem veſtis motum deſideratur, cujus non minor utiq; qvàm acus necesſitas. Nulla igitur cauſa, cur Fibulam putemus à parte ſui denominatam. Siqvidem, fatente ipſomet Caſaubono, totum illud Latini Fibulam vocant. Appellatio autem magis à toto, qvàm à parte principali plerumqve ducitur. Mitto, Spinam apud laudatum antè Tacitum à Fibula diſtinctam deficientis Fibulæ vicem exhibuiſſe. Et qvid rei perfectio æſtimationi detrahit? Qvis Haſtam puram propriè magis haſtam dixerit, qvàm præpilatam; etiamſi primævos, ut Aborigines adverſus Trojanos agrum Laurentem occupantes, tutelæ necesſitas aliusve poſtea caſus ad præuſtas ſudes adegerit? Eſto; primos homines necesſitas compulit, ut veſtem fluentem ſpinâ vel haſtulâ adſtringerent. eos tamen deſtitutos fuiſſe Fibulâ, nunqvam meminit Tacitus. Nec usqvam Fibulæ nomine inſignitam ejusmodi Haſtulam adhuc videre contigit; etiamſi (qvæ ſunt Caſauboni verba) Ars anulo adjecto commodiorem & honeſtiorem fibulæ uſum præbuit. At qvum iſta ſcriberent Viri eruditi, nullas forſan aut certè paucas viderant antiqvorum Fibulas, qvarum plures ſine acu aduncæ reperiuntur.

Not. ad Treb. Poll. p. 267. v. 18.

De Verbor. Vitruv. ſignificat.

tur. Fibulas ad hæc post virum amplissimum Lazarum Bayfium de Re Vestiaria Orbiculos teretes interpretantur Viri eruditissimi Barnab. Brissonius, & Thom. Dempsterus. Qvo autem fundamento, vellem horum aliqvis prodidisset. Nam qvod ex Luctatio Grammatico ad Statium adfertur, valdè obscurum est. Qvid enim pro ista opinione Fibula multis foraminibus exornata? Nunqvid thoracis ansulas intellexit, qvas Monosinius cum Dav. de Pomis in Dictionario Hebræo Italico ponit Globulos, qvi vulgo *Bottoni?* Sic videtur utiqve: nisi malimus eam fibulæ speciem, qvam è Joannis Baptistæ Casalii museo protuli. Bayfii conjecturam Romæ confirmat visu dignum vetus marmor in ædibus Cæsiorum, qvas nunc habitat Ubaldinus defuncti Cardinalis frater; ubi Ais braccatus ejusmodi fibularum genus repræsentat: qvales Pignorius etiam in monumento Tornacensi verè deprehendit. Nec ratione multum dissimili in Trajani Columna, si memini, chlamydes & lacernæ nunc dextro humero, nunc summo vel medio pectore nectuntur. Inde Phavorinus generatim: Πόρπη μὲν ἐστιν ἡ ἄνωθεν τῆς χλαμύδος σύνθεσις. Qvamvis enim nonnullis Fibula Ἐνετὴ, ἀπὸ τοῦ ἐνίεσθαι τοῖς ἱματίοις, καὶ ἐμβάλλεσθαι πρὸς τὸ πέπλον: velut & Ἐπιβολὴ Hesychio, παρὰ τὸ ἐπιβάλλεσθαι τοῖς ἱματίοις, itemqve Phavorino: qvæ Callimacho ἐπιπορπὶς videtur: *Hymno Apollinis.*


Χρύσεα τῷ πόλλωνι, τότ' ἐνδυτὸν, ἥτ' ἐπιπορπὶς.

Ἐνεταὶ nihilominus apud alios redduntur Globuli seu Clavi παρὰ τὸ ἐνίεσθαι, ὅ ἐστιν ἐμβάλλεσθαι τῇ ἀντικειμένῃ ὀπῇ: qvemadmodum ante Phavorinum Eustathio visum. Ιλ. ξ.

De Verb. signif. L. 6. Paralip. Ant. Rom. L. 5. C. 31.

ſum. Qvi ſubdit: ὥσπερ καὶ τὰ ἕρματα ἐνίεντας εὐτρήτοις λοβοῖς. Κλεῖδες δὲ (ait idem alibi) ὁπὰν λεγόμεναι κατακλεῖδες, εἰς ἃς αἱ περόναι καθίεντο. Foraminis verò rationem optimè monſtrat Uncus Alexandri Eſtenſis Patricii Patavini æneus fabricâ & ferrumine verè antiqvus, qvem à Pignorio habuit; omniumq́; evidentiſſimè tricipitis fibulæ ſpecies, à Caſalio pridem ceteris addita. Tale fortaſſis veteribus Gloſſ. Latinis *Fibularium*, per qvod pallio adſutum immittebatur Fibula, ne palliumdetereret. Cujusmodi procul dubio apud Phavorinum Ἐπιπόρπημα, τὸ ἐπὶ τῇ πόρπῃ προσκόμισμα λίθινον, ἢ χρυσοῦν, ἢ ἀργυροῦν. Ubi legendum credo προσκόσμημα. Æneum Romæ habuit Bartolus Bartholinus. Græcobarbaris φιλὸ, oculus, cui fibula inſeritur; ut Martinus Cruſius in Turco-Græcia obſervavit: Gloſſario Latino Theoliſco apud Gerardum Voſſium de vit. ſerm. Lib. 2. cap. 13. *Nuſca*.

Οδ. σ.



Neq́ve ſanè abſonum erat, à veteribus variam Fibulæ ſpeciem formari, modò rectus ei uſus conſtaret. Ex hoc etiam factum, qvòd ætatis diverſitas ad uſus commoditatem non minùs formæ magnitudinem immutarit, qvàm fortunæ conditio materiæ pretium, aut ingenii ſolertia figuras; ſicut ex vivis Iconibus in aperto eſt. Primus è recentioribus id obſervaſſe videtur Rhodigin. Polyhiſtor, qvi ex Herodoti Hiſtoria Fibulas Hemiolias, dimidio aliis majores, obiter adfert. Hiſtoriæ occaſionem, propter feſtivitatem veterisq́ve inſtituti notitiam, haut pigebit

Antiq. Lection. L. 5. Cap. 2.

gebit

gebit pleniùs ex Autore ipſo repetiiſſe. Sic itaqve ſuaviſſimus Hiſtoriæ parens Libro, qvi Terpſichore inſcribitur, ex recognitione Hen. Steph. Latinis Vallæ verbis: *Athenienſes qvoq; confitentur unum omnino è ſuis incolumen reverti ſſe, qvem tamen Argivi ajunt ſuperſtitem fuiſſe ex Attico exercitu, qvem ipſi profligaſſent. Eundem Athenienſes Dæmonio incolumem nihilo ſeciùs periiſſe referunt, hunc in modum: Qvum Athenas ſe recepiſſet, cladem q; renunciaſſet, uxores eorum, qvi adverſus Æginam profecti fuerant, indignè ferentes unum ex omnibus eſſe reducem, circumfuſas hominem prehendiſſe, ac fibulis veſtimentorum pupugiſſe, percontantes ſingulas, ubi ſuus vir eſſet, atq; hoc modo hunc fuiſſe confectum. Idq; factum mulierum viſum eſſe Athenienſibus ipsâ clade triſtius. In qvas qvum aliâ ratione animadvertere non poſſent, veſtem illarum in cladem mutaverunt. Nam antea Doridem veſtem gerebant Atticæ feminæ ſimillimam Corinthiæ. Eam itaq; mutaverunt in lineam, ne fibulis uterentur. Qvanqvam reverâ ſi ratione utuntur, non Ias olim veſtis fuit, ſed Caira. Qvoniam omnis priſca veſtis feminarum Græcarum eadem erat qvæ nunc, qvam Doridem appellamus. Præterea Argivi & Æginetæ idem adhuc factitant, apud qvorum utroſq; mos eſt Fibulas faciendi ſeſcuplas menſurâ, qvàm tunc conſueverat: qvas præcipue feminæ eorum templis Deorum conſecrare ſolent, neq; aliud qvicqvam Atticum illic efferre, ne urceum qvidem, ſed ex ollis gentilibus* (vel patriis, *ut Rod. Gualtherus Herodotum vertit apud Jul. Pollucem,*) *in poſterum ibidem potare. Eoq; contentionis proceſſere Argivæ atq; Æginetæ mulieres cum Atticis, ut ad meam uſq; ætatem fibulas geſtaverint, qvàm antea grandiores.*

Herodot. L.5.C.18

Lib.6.c.16.

Hecuba. Rem paulò aliter perſtringit antiqvus Euripidis Scholiaſtes: ὑπὸ Αἰγινητῶν πειρατευόμενοι Ἀθηναῖοι στρατιὰν κατ' αὐτῶν ἀποστέλλουσιν, οἱ δὲ ἅμα Σπαρτιάταις, ἅπαντας ἀπέκτειναν. εἷς δὲ ὑπέστρεψεν ἄγγελος, ὃν περιστᾶσαι τῶν τεθνεώτων αἱ γυναῖκες, καὶ τὰς περόνας τῶν ὤμων ἀφελόμεναι, ἐξετύφλωσαν, εἶτα ἀπέκτειναν. Οἱ δὲ Ἀθηναῖοι, δεινὸν ἡγησάμενοι τὸ πραχθὲν, περιεῖλον τῶν γυναικῶν τὰς περόνας, ἐπείπερ εἰς ὁπλισμὸν αὐταῖς ἐχρήσαντο, καὶ οὐ πρὸς φυλακὴν τῆς ἀμπεχόνης. Narrationem memoriâ certè dignam Latinæ conſvetudini tradere libuit: *Athenienſes ab Æginetis claſſe infeſtati exercitum adverſus ipſos mittunt. Hi verò unà cum Spartanis omnes interemerunt. Unus autem rediit nuncius, quem circumſtantes interfectorum uxores, & fibulas ex humeris refigentes excæcârunt, deinde occiderunt. Athenienſes autem indignum exiſtimantes factum ademerunt mulieribus fibulas, qvòd iis pro armis, & non ſubnectendo pallio, uſæ fuiſſent.* De omnibus hoc notiſſimum dixiſſe ſatis erit, qvòd veteres Romani potiùs ingenio, qvàm conſilio varias adeò utenſilibus etiam induxerint, figuras, ut neqve in lautitiis ad feſtivitatem ab ob-

Juven Sat. 2. ſcœnis temperatum fuerit. Inde Satyricus:

— *vitreo bibit ille Priapo.*

Poetam illuſtrat ænea veteris pocillatoris imagun-cula, qvam apud Pignorium videre licuit: cui è noſtris heic ſimilem eo cultu expreſſimus, ut de ipſo

Ep. 47. veriſſime Seneca: *Vim miniſter in muliebrem modum*

**Proœm. L.* *ornatus cum ætate luctatur.* Fœdiſſimam conſvetu-

33. Hiſt. Nat. dinem egregiè taxavit Plinius: *In poculis libidines cælare juvit, ac per obſcœnitates bibere.* Qvid verò Mar-

tialis



tialis



tialis

tialis priapo filigineo turpius? Cordatiores multò Græci, qvi non rarò figuras in symbolum scitè usurparunt. Inde prisci Athenienses cicadas in seriem aureas capitis ornamento, ut indigenæ ac ingenui internoscerentur ab advenis atqve servis, innectebant utriusqve sexus torulis sive cincinnis, id est, acutulæ cuidam capillorum implicationi, qvemadmodum Κρώβυλον Thucydidis doctissimus Camerarius interpretatur; cicadis etiam capilli in coni speciem stringebantur. Unde Τέττιγοφόροι Thucydidi: qvamvis feminarum duntaxat meminerit Rhodiginus. Breviter Hesychius: Τεττιγοφόροι, ἀττικοὶ ἀπὸ τῶν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τριχῶν ἠρημένων χρυσοῦς τέττιγας. Qvid Κρώβυλος idem optimè. Diversas appellationes addit Thucydidis interpres. Notaq; ex Clementis Alexandrini scholiaste Nicolaus Loënsis Reticuli genus fuisse, qvod crines ab extremis ad verticem in acutum extendit, aureaq; cicada perforata constringebatur, ne deflueret. Modum habet Athenæus: Κορύμβους δ' ἀναδούμενοι τῶν τριχῶν χρυσοῦς τέττιγας περὶ τὸ μέτωπον. Jacob. Dalechampius vertit: *Summâ comâ religatâ, cicadis aureis circa frontem & capillum appensis.* Hinc Lucianus: Ἀναδουμένους κρώβυλον ὑπὸ τέττιγι χρυσῷ ἀνειλημμένον. De Niso ad hunc ritum egregiè allusit Maro:

Lib. 14. Ep. 69. *Ælian. var. Histor. Lib. 4. Cap. 22.* *Utr. Ling. Com. p. 51.* *Clem. Alex. Pædag.* *Hist. L. 1.* *Pædag. L. 2. Epiphyl. L. 8. Cap. 25.* *Navigio* *Cir. ver. 126.*

omnis caro residebat cura capillo:
Aurea solenni comtum qvem fibula ritu
Cecropiæ tereti nectebat dente cicadæ.

Qvod verò Athenei versio habet; *coqvum indigenam & civem Masona prisci vocaverunt, externum ac peregri-* *Deipnos. Lib. 14.*

grinum Tettigem. Dalechampius rectè margini appoſuit, *cicadam.* De regis Darii cultu Quintus Cur-
Lib. 3. tius: *Pallam auro diſtinctam aurei accipitres, velut roſtris inter ſe corruerent, adornabant.* Iis nempe indumenti oræ tanqvam fibulis jungebantur.

Conſpiciuntur hodiè etiam Fibulæ veterum, Arcus ſive ſemicirculi, Balliſtæ, Bullæ, Circuli, Cymbii, Rotæ, Columbi, Eqvi, Hinnuli, Delphini, Cochleæ, Teſtudinis, Angvium ſpecie, imò & notæ virilis, *partis viri ſecretioris*, neqvid effreni licentiæ



Not. in Car. de Im. Deor. deeſſet. In marmorea Adriani ſtatua vidit Pignorius Fibulæ operculum ſeu ἐπιπόρπημα ipſius Imperatoris & Sabinæ conjugis effigie inſignitum. Elegantis artificii fibulam expreſſit ingeniorum fons Homerus:

Χλα-

Χλαῖναν πορφυρέην οὔλην ἔχε δῖος Ὀδυσσεὺς, *Odyss. 19.*
Διπλῆν. αὐτάρ οἱ περόνη χρυσοῖο τέτυκτο
Αὐλοῖσιν διδύμοισι πάροιθε ᾗ δαίδαλον ἦεν
Ἐν προτέροισι πόδεσσι κύων ἔχε ποικίλον ἔλλον
Ἀσπαίροντα λάων· τὸ δὲ θαυμάζεσκον ἅπαντες
Ὡς οἱ χρύσεοι ὄντες, ὁ μὲν λάε νεβρὸν ἀπάγχων,
Αὐτὰρ ὁ, ἐκφυγέειν μεμαὼς, ἤσπαιρε πόδεσσι.

Vestem purpuream subtilem habebat divinus Ulysses
Duplicem: at ei fibula auro facta erat
Foraminibus duplicibus, ante autem variegata erat.
In anteriori pedum parte canis habebat variũ cervum
Trementem tenens: hoc autem admirabantur omnes,
Qvomodo, qvum hi aurei essent, eorum alter teneret
hinnulum suffocaretq́;
Alter effugere cupiens palpitaret pedibus.

Talis forsan Marthæ vatis Syræ apud Marium amictus. De qva Plutarchus: περὶ δὲ τὰς θυσίας [illegible] ἐκ φοινικίδα διπλῆν ἐμπεπορπημένη, καὶ λόγχην ἀναδεδεμένην ταινίαις καὶ στεφανώμασι φέρουσα. *Ad rem divinam puniceo amictu duplici fibulato hastam vittis redimitam & corona mentis ferens procedebat.* Qvidqvid sit, unus tamen omnium usus, idemqve procul dubio utendi modus fuit. *Mario.*

Verùm de his citra opinionem plus satis: pauciora tamen noluit materia uberior, qvam exigit ratio calamum porrò ducens in id Fibulæ genus, qvod Medicis universæ disceptationis caput existit. Talia verò condimenta qvi respuis, Plinianum hoc cogita: *Qvadam etiamsi alienis locis, tamen obiter dici necesse erit. Nec deerit materiæ pompa, si qvicqvam aliud intueri liberet, qvàm fidem operis.* *Nat. Hist. L. 29. C. 1.*

CAP.

Cap. VI.

FIBULA GYMNASTICA *investigata.*

Relictâ accuratioribus Medicorum cogitationibus eâ Fibulæ significatione, qvam fibi vindicant Anatomiæ periti; perqvirendum paulò diligentiùs, qvo ingenio altera perficeretur, qvæ vulneribus excogitata. Ac licet ex arte huic subdita sit ea, qvæ Gymnastica, Cantoribus & Comœdis præcipuè inserviens, pressiori sermonis formâ eru-

Comm. de Serv. P. 82. ditissimi Pignorii judicio Citharœdicæ titulum meretur: qvia tamen eruditorum plures aliqvid suæ de Fibula Vulneraria hinc afferunt opinioni, eam prius

L. 10. C. 52. expendisse convenit, eâ specie omissâ, qvam Julius Pollux ἐπιπόρπημα vocat, citharæq; suspendendæ inventam opinatùr Eustathius. Distinctam prorsus à Chirurgica agnoscit Fabricius ab Aqvapendente. Mixtam non ineptè dixerim fortassis, ratione usûs. Valetudinis enim Vocisq; gratiâ fiebat, veluti è Cor. Celso planum est. Ideoqve non æqvè rei quadrat eorum descriptio, qvi circulum statuunt æneum, qvo adolescentuli infibulabantur conservandæ vocis gratiâ, qvæ veneris usu gallulascit & corrumpitur, qvamvis inde verbum *Infibulare* cum ratione huic in primis usui natum sit. Qva etiam ratione intelligi posse crediderim Isidori glossam: *Obfibulare, concludere, circumdare.* Adulescentulos verò utramqve ob causam infibulatos, primus, qvòd sciam, inter

De re Med. L. 7. C. 25. Medicos notat Celsus in hæc verba: *Infibulare qvoq; adulescentulos, interdum vocis, interdum valetudinis*

causa,

causâ, qvidam consuêrunt. Ejusq́ hac ratio est: Cutis, qvæ super glandem est, extenditur, notaturq́ utrinq́ à lateribus atramento qvà perforetur, deinde remittitur. Si super glandem notæ revertuntur, nimis adprehensum est, & ultra notari debet. Si glans ab ipsis libera est, is locus idoneus fibulæ. Tum qvà notæ sunt, cutis acu filum ducente transuitur, ejusq́ fili capita inter se deligantur, qvotidieq́ id movetur, donec circa foramina cicatriculæ fiant. Ubi hæ confirmatæ, exempto filo Fibula inditur, qvæ qvò levior, eò melior est. Sed hoc qvidem sæpiùs inter supervacua, qvàm inter necessaria est. Qvi in hanc sententiam accuratiùs qvidqvam, nullus mihi prætereà visus inter vetustiores. Nec aliis qvàm Romanis usitatam fuisse hanc Infibulationem, vel inde conficere licet, qvòd Græcorum nemo ejus meminerit. Qvod enim de Cupidine infibulato ex Philostrato memorant viri omni eruditionis laude dignissimi Matthæus Raderus ac Thomas Dempsterus, in hoc videntur decepti autoritate Tiraqvelli, qvem in multis hîc secuti. Nec video, qvod Marcellus Donatus refert, ubinam Philostratus Cupidinem cum fibulis aureis effingat. *Dilucidat.* Ita enim ille: ὁ δὲ τελαμῶνι καταστέφων τὴν κεφαλῆς κόμην, καὶ ἐκ τῶν ὀφρύων ἀπωθούμενος τῷ διαδήματι τὰς τρίχας, γυμνὸν πλοκαμίου ἐτήρει τὸ μέτωπον. *Liv. Lib. 39.* Qvæ sic reddidit Fredericus Morellus: *Sed dum cingulo cæsariem capitis coronaret, & à superciliis capillos diademate removet, nudam à nexibus capillorum frontem servabat.* Nulla hîc Fibulæ mentio; nec sanè apertior alibi: qvamvis idem Veneri auream à Nymphis donatam narret: ut magnos hac in re viros ita lapsos demirer. Τελαμὼν enim nobis

Oper. Med. To. 6. fascia est. Sed nec verba Celsi admittunt, Fibulationem esse castrationis speciem; veluti Franciscus Joel sensuit. Illud minimè prætereundum, Adultis conservandæ vocis magnæ causâ eodem modo consultum fuisse. Qvod licet de Citharœdis ad qvæstum voce faciendum proferant alii: Histrionibus tamen id convenientius erit; sub qvibus diligentissimus Mercurialis Præcones, Choristas, Tragœdiarum & aliarum Fabularum recitatores, necnon vocibus certantes collocat: qvos solicitè, cui imperabant, voci pepercisse ex Martiale notum est. Sic enim ipse:

Gymnast. L. 3. C. 7. Var. Lect. L. 1. C. 19. L. 7. Ep. 81.

Menophili penem tam grandis fibula vestit,
Ut sit Comœdis omnibus una satis.
Hunc ego credideram (nam sæpè lavamur in uno)
Solicitum voci parcere, Flacce, suæ?

Sat. 6. Neqve ab hac mea conjectura longè abest Juvenalis, apud qvem,

Solvitur his magno Comœdi fibula, sunt qvæ
Chrysogonum cantare vetent, Hispulla Tragœdo
Gaudet.

Et multis interjectis:

nullius fibula durat
Vocem vendentis Prætoribus.

Ridiculum hîc veteris cujusdam semibarbari glossema silere neqveo in membranis M. S. viri eximii Alexandri Estensis, qvo hæc dictorum ratio attexitur: *ut habeant memoriam de ipso*. Longè diversus enim Satyrici animus est, qvi mulierum vitia acriùs insectatur, qvò matrimonii incommodis Ursidium à tali jugo deterreat. Causam qvidem Martialis

Lib. 14. Ep. 215.

verio-

veriorem attulit; cujus tamen petulantiâ nolo bonas aures offendere. Tragœdos autem Comicosq; fabulas cantasse, notius è Svetonio est, qvam ut hic multis confirmem; Citharœdos pariter, indicat Hippocrates. Modulationis Agonisticæ verò modum non perseqvor; qvem post Athenæum scriptorem vetustissimum, inter Medicos Ægineta tetigit, fusè ac eruditè descripsit Consultissimus Vir Petr. Faber Agonisticor. Lib. 1. Cap. 2. & 15. Lib. 2. Cap. 14. 15. 18. 32. Lib. 3. Cap. 8. & 16. De qvo non immeritò audiendum Apuleii illud: *Ipsius vocis hominis exercendi cassus labor supervacaneo studio plurifariam superatur.* Laborem hunc egregiè repræsentat Tullius: *Qvi volunt exclamare majus, num satis habent latera, fauces, linguam intendere, è qvibus elici vocem & fundi videmus? toto corpore atq; omnibus ungulis (ut dicitur) contentioni vocis asserviunt.* Ex qvibus facilè colligitur, qvid sit apud Celsum, *voce contendere*; qvid Plinio, *voces alere.* Græci, Cæl. Aureliano teste, exercitium illud Ἀναφώνησιν vocabant: qvam Tyroni suo profuisse gaudet Cicero. Unde apud Galenum, qvi magno vocis exercitio utuntur, τῶν φωνασκῶν Ἀναφωνήσεις: qvas Turnebus *Vociferationes*, Aurelianus, seu malis cum Hadriano Junio & Hieronymo Mercuriali Arrianus, veriùs *modulationem agonisticam*, & *vehemens vocis exercitium*, Marcellus *vocis exercitationem*, Plinius verè *certamen*, simpliciter, Seneca & Plinius *intentionem vocis*, *contentionem* Tullius, appellavit. Hujus autem generis inter literatos exercitium putat Laurentius Joubertus vocem assam, qvum nullis instrumentis musicis caneretur.

L. de Prin.
Dipnos. L. 10. C. ult.
L. 1. C. 19.
Flor. L. 3.
Tusc. Qv. Lib. 2.
L. 34. C. 18.
Lib. 1. C. 4. Tard. Pass.
L. 1. C. 5. Fam. Lib. 16. Ep. 18.
De Sā. tuē. L. 5. C. 10.
De Gymnasiis Cap. 21.

Charixenis etiam Arteriaca ad phonaſcos ante & poſt certamen Galeno laudata: ſuosq; ab iis boatus tonitruaq; petiiſſe Tragœdos, autor eſt Franciſcus Polletus. Nec ſoli tamen ſcenæ, vel miniſtris, qvi à literis erant, verùm declamationibus etiam oratorum ſeriis accommodatum fuiſſe hoc exercitium, docet Qvintilianus, & Martianus Capella manifeſtius: *Ad curandam autem vocem pleriq; pertinere dixerunt, ut ſedentes paucisſimos verſus lentâ & gravi proferant voce: deinde per gradus paulatim erigant ſonum, per eosdemq; gradus recolligatur oratio, qvò ſine damno ad murmur usq; perveniat.* Illud veteribus ita freqvens fuiſſe video, ut ejus in Sp. Papinio lucifuga abuſum more ſuo ſapientisſimus Romanorum Seneca meritò reprehendat. Sanitati nihilominus ac vitali robori plurimum conferre, inter cetera valetudinis præcepta poſuit Plutarchus: cui Aetius, ac Oribaſius conſentiunt; etiam in pasſione Colica & ſpleneticis laudat Aetius: imò rigidus morum cenſor Annæus hoc præcepto, qvo ſimul rationem innuit: *Nec tu intentionem vocis contemſeris: qvam veto te per gradus & certos modos attollere, deinde deprimere.* Qvod Cæl. Aurel. indicat adhibito præceptore factum: qvem Columella *magiſtrum vocis* nominat. Qvo nomine Perſas etiam, ſimul & vocem, & latus, & ſpiritum exercuiſſe arbitror; Auguſtum itidem, Svetonio teſte, phonaſco asſidue operam dediſſe. Porrò Athletas etiam in palæſtra pugnantes Fibulam uſurpaſſe loco pridem adducto oſtendit lepidisſimus Epigrammatum autor. Qvanti verò Cantoribus & Athletis fuerit Continentia, ſatis

Hiſtor. fori Romani Lib. I. C. 12.

Inſt. Or. L. 11. C. 3. Rhet. Lib. 5. C. de Pron.

Epiſt. 112.

De San. tue. Tet. 1. Ser. 2. Cap. 13. Serm. 3. c. 5. Tetr. 3. Ser. 1 Cap. 30. Med. Coll. l. 6. c. 8. 9. 10

Strab. L. XV

Oct. C. 84.

L. 7. Ep. 81.

satis indicat Galenus, testaturq; Plinius Junior, qvi *De loc. aff.*
Zosimum suum parcum & continentem prædicat. *Lib. 6. C. 6.*
Qvos itaq; Plinius Tragœdos, Jul. Solinus non mi- *L. 5. Ep. 19.*
nùs verè qvàm eleganter *pudicè habitos* dixit. Qvin *Nat. Hist.*
pugiles non modò cœlibes, sed veneris expertes *L. 37. C. 10.*
corporis voluptatibus nuncium remisisse, autor est *Polyhist.*
post Platonem Tertullianus: additqve Clemens *Cap. 37.*
Alexandrinus, propter corporis exercitationem fu- *De Legib.*
isse continentes: utut Plinio opinione *Athletæ tor- Lib. 8.*
pentes restituuntur venere, vox revocatur, qvum è can- Ad Mart.
dida declinat in fuscam. Pro hac veterum consvetu- *Cap. 3.*
dine memorabile qvidpiã, interprete Jano Cornario, *Strom. Lib. 3. C. 5.*
ad filium refert Artemidorus: *Visus est sibi qvidam Ath- Nat. Hist.*
leta, resectis pudendis, & simul vincto capite coronatus L. 28. C. 6.
esse. Factus est sacrorum certaminum victor, & non Oneirocrit.
ignobilis: & qvousq; sane incorruptus erat, splendidè & Lib. 5.
insigniter athleticam exercebat. Postqvam autem rebus
venereis usus esset, inglorius artem desivit. Verùm, qvod
gravius magisq; ad nostrum est institutum, de Histri-
onibus hæc idem: ἐυνυχῆνται ἐξ ἀνάγκης οἱ θεατρικοὶ
ἀσκηταὶ ὅιτινες διὰ τὴν ἀθολκὴν τῆς ἐυδοξίας κρατῦσιν ἑαυ-
τῶν. *Actores Scenici exscindunt sibi virum, qvi ambitione*
illecti se ipsos edomant. Nec alio sanè consilio Amœ-
beus citharœdus sponsam, qvam recens duxerat, in-
tactam reliqvit. Summa igitur cum ratione Gale-
num excusat Marsil. Cagnatus, qvòd citharœdos, *Observ.*
præcones, comœdos, ac tragœdos vocis causâ fre- *L. 2. C. 8.*
qventibus balneis ac eduliis laxantibus usos memo- *De Rem.*
ret, nec tamen infibulandi artificium prodat. Hoc *sec. Loc.*
enim potiùs vocis conservationi debetur, qvatenus *L. 7. C. 1.*
venerem ipsi adversam frenat, qvàm curationi.

Conservationis autem qvoniam nulla hic ipsi mentio, Fibulam utiqve jure præteriit: ut omittam parum eam fuisse efficacem, si Martiali credendum:

Lib. 14. Ep. 215. *Dic mihi simpliciter, Comœdis atq; Tragœdis*
Fibula qvid præstat?

Sed neq; Tito Popmæ erudito de Servis Commentariolo dubii, ut videtur, argumenti rem attingere libuit: etsi Mancipiorum qvoqve non minor hac ratione apud veteres cura erat, qvàm Gymnastarum, non tam vocis ac valetudinis, qvàm coercendæ libidinis causâ. Hujus itaq; generis fibulam Joannes Pienus Valerianus concinnè satis continentiæ symbolum tradit. Nec tantùm, qvod doctissimus Mercurialis suspicatur, lenonum servis ad virginum tutelam hoc datum fuit munimentum, ut essent illibatæ. Majus namqve securitatis studium familiæ ad honestatem incumbebat, qvàm voluptatis; servis etiam ministerio distinctis omnia pervagantibus, ad patrisfamiliæ necessitatem, maximeq; ad liberorum custodiam: qvanqvam loca ipsis fuisse distincta ex Plinio Secundo non ignorem. Atqve in tantum qvidem processit hæc custodiæ ratio, ut *Pædagogia ad transitum virilitatis custodita argento* notet Plinius. Qvod post Lipsum rectè Pignorius Mancipia argenteis fibulis ad transitum virilitatis cohibita exposuit. Jurisconsulti nempe hoc etiam nomine denotant Mancipiorum gregem, qvum Παῖδες qvoqve apud Græcos Attica consvetudine, uti notat Julius Pollux, Servi audiant, non minùs, qvàm Terentio, Varroni, Tullio, Petronio Arbitro, Columellæ, ceterisq; purissimis scriptoribus Latinis *Pueri*: qvod ad

Hieroglyph. Lib. 40. — *Var. Lect. L. 1. C. 19.* — *Lib. 2. Ep. 17.* — *Nat. Hist. L. 33. C. 12.* — *Not. ad Tac. Ann. Lib. 16.* — *Comm. De Serv. P. 81.* — *L. 3. C. 8. n. 2.*

ad Ciceronem qvoqve monuit Dionysius Gothofredus; nec ab re addidit Franciscus Connanus domesticos hîc intelligi servos, maximeq; tabellarios, juvenili ætate qvi pedibus valerent. Inde Varroni Qvintipor Qvinti puer sive Servus. Argumento nobis post Hesychium Phavorinus: Παῖδες, τὸ πάλαι μὲν τέκνα ἀρσενικὰ καὶ θηλυκά. Μεταπεσούσης δὲ τῆς χρήσεως, νῦν καὶ οἱ δοῦλοι. Hac forsitan apud Julium Pollucem significatione Demosthenes: Καπνίζειν ὀψοποιουμένους τοὺς παῖδας: *Pueros coqventes fumigare.* Clariùs multo Ælianus de Stratonico citharœdo: ἔφη πρὸς τὸν ἀκόλουθον. ἀπίωμεν ἐντεῦθεν ὦ παῖ. Justus Vultejus vertit: *Facessamus ô puer hinc, inqvit ad suum famulum.* Qvod apertè ostendit Symmachus: *Puer vester inconsultis atq; ignorantibus nobis urbe discessit, ut est servis familiaris improbitas.* D. Ambrosius longè manifestiùs: *etiam ætatis senioris servuli, pueri dicuntur à Dominis.* D. Augustinus pariter: *ostenditur, Pueri nomine Servum solere significari.* Conditio enim potiùs, qvàm ætas significatur. Ideoqve Hieronymus Cardanus apud veteres Romanos putat servos hoc nomine appellatos, etiamsi essent viri, qvod moribus & assiduitate tales esse debeant. Inde Paulus J. C. rectè omnes servos notat pueros appellari. Et qvid Italis hodiè familiarius, qvàm provectioris qvoq; ætatis operas hac appellatione excitare? Forsan & olim ita Romani. Sic enim Poeta:

Ad Att. L. I. Ep. 8. *Comment. Jur. Civil. L. 10. C. I.* *Sat. Bimar.* *L. 6. C. 13.* *Var. Hist. L. 14. C. 14.* *L. 6. Ep. 8.* *L. I. de Abrah. C. 9.* *Ad Genes.* *Prud. Civil. Cap. 32.* *De verb. signif. l. 204* *Eclog. I.*

——— *Pueri submittite tauros.*

Qvo modo Gregorius Turonensis: *Beatus Gregorius ad inqvirendum eum* (Attalum nepotem) *misit pueros.* *Hist. Fran. L. 3. C. 15.*

2. Reg. C. 2. ver. 14. De Militibus etiam Abner ad Joab: *Surgant pueri, & ludant coram nobis.* Ita qvi facris literis iteratò δοῦλος,
Luc. Cap. 7. v. 2. & 10. v. 7. ilicò παῖς à Centurione vocatur: ut interpres Anglus non ab re fervi nomen ubiqve retinuerit. Qvin
Joa. C. 21. ver. 5. Chriftus ipfe Difcipulos Παιδία compellat. Qvo etiam nomine fervos Ariftoteles intelligit. Pædago-
Rhet. lib. 3. gia verò, ex mente Lipfii, cœtus erant elegantium
De Socrat. Deo. puerorum, qvi pretiofâ vefte fuccincti, Apulejo *Familiæ calamiftratæ.* Talis procul dubio ex veteri monumento

PHILONICUS
TI. CÆSARIS GERM.
DE. PÆDAGOGIO

Horum mollitiem optimus lingvæ morumqve ma-
Epift. 112. gifter Seneca rectè perftrinxit: nec ipforum faftum
De Tranq. an. C. 1. tranfivit, dum fcribit *auro culta mancipia.* Exactior fanè Pomponii Attici familia, cui Cornelius Nepos
Vita T. P. Att. cap. 19. literatisfimos pueros adnumerat. Ritum hunc infibulandi ex Libris Senecæ Moralis Philofophiæ hodiè defideratis non illepidè tetigit difertisfimus
De Falfa Relig. L. 1. cap. 16. Lactantius: *Qvid ergò eft, qvare apud Poetas falacisfimus Jupiter defierit liberos tollere? utrum fexagenarius factus eft, & illi Lex Papia fibulam impofuit?* Refpexit nempe Orator Chriftianus ad Juvenalis
Sat. 6. illud:

> *Qvis tamen affirmat, nil actum in montibus, aut in*
> *Speluncis? adeò fenuerunt Juppiter, & Mars.*

Tacit. Ann. L. 5. Legem verò Papiam à Julio Augufto incitandis cœlibum pœnis inftitutam, fatis conftat: cujus caput
fuit,

fuit, ne sexagenario major uxorem ducere, propter ætatem effœtam, monente in Glossa Accursio; qvum nuptiæ liberorum causâ contrahantur; *ad qvos, Tertulliani judicio, suscipiendos legibus compelluntur homines, qvia sapiens qviq; nunqvam libens filios desiderasset;* licet huic capiti Claudius primum, deinde Justinianus, abrogaverit. Isq; *uxorium pependisse* dicebatur, qvi, qvod uxorem non habuerit, æs populo dedit, ut Festus autor. *Fibulam* igitur *imponere* hîc Metaphoricè est, ob ætatem ingravescentem nuptias vetare; qvemadmodum Tertulliano, *Supremam carni fibulam imponere*, libidinem compescere. Qva sententia S. Petrus Damianus adhuc apertius: *tentavi genitalibus sacerdotum, ut ita loqvar, continentia fibulas adhibere.* Nec minori sermonis licentiâ apud Aloïsium Lollinum claræ memoriæ Antistitem leges & jura intemperantiæ fibulam innectunt. E contrario Tertullianus: *voluntariis delictis fibulam laxare.* Qvod B. Rhenanus interpretatur fenestram aperiri. De Fibula vestiaria & gymnastica similitudinem accipit Aloisius Novarinus Adagior. & S. Patrum & script. Eccles. To. 2. Excursu 119. Mitto elegantem nimis similitudinem hinc desumtam, qvâ in carmine Cypriani, seu Tertulliani, ut cum recentioribus Criticis post magnum Lipsium mavult eruditissimus Barthius, *Nimborum Fibula* de Iride usurpatur. Eam insigni venustate sic expressit ingeniosus Poeta Joannes Argolus Professor Bononiensis:

Cod. de Nupt. L. 27. *De cohort. castitat. cap. 12.* *Sueton. Claud. cap. 23.* *De Nuptiis L. penult.* *Lib. de Monogam. cap. 2.* *Præfat. opusc. XVII.* *Lib. 2. Ep.* *De Corona cap. 11.* *Cent. 3. Ep. 75.* *Adversar. L. 27. c. 19.*

Lunato rutilans Thaumantias arcu
Compede sistit aqvas, pluviumq; infibulat imbrem.

Apologet. Nec inelegantiùs *Fibula Rhetorica* M. Felici Ennodio
P. 513. Argumentationem significat; qvemadmodum Notis ad hunc locum advertit utriusq; lingvæ peritissimus Andreas Schottus. Et infrà, Vinculum, sive
P. 535. conjunctionem: *qvos fibula religionis pio mordens dente conjungit.* Item Oratione 1 *boni utriusq; fibulâ operis in testimonio summæ gloriæ sine labe perdurat.* Et Lib. 2. Epist. 17. ad Olybium: *Opto esse plurima, qvæ mihi ad caritatis fibulam agenda mandentur.* Lib. 1. Qv. 2, ad Florum: *Esto mihi apud dominum Faustum amoris mei fibula.* Qvod Aloisius Novarinus Adagior. Sanctor. Patrum scriptorumq. Ecclesiasticorum To. 2. Excursu 16. de eo explicat, qvi amicitiam conciliat. Qvidni verius de eo, qvi confirmat? Qvâ mente
Lib. 2. Epist. de vesicæ partibus in pisce Aloisius Lollinus Præsul disertissimus: qvas invicem cartilaginea fibula
Phædone. connectat. Plato etiam, affectionum causam redditurus, corporis animiq; vinculum venustate non dissimili expressit: ὅτι ἑκάστη ἡδονὴ καὶ λύπη ὥσπερ ἧλον ἔχουσα προσηλοῖ αὐτὴν πρὸς τὸ σῶμα καὶ προσπερονᾷ, καὶ ποιεῖ σωματοειδῆ, δοξάζουσαν ταῦτα ἀληθῆ εἶναι ἅπερ ἂν καὶ τὸ σῶμα φῇ. Marsilius Ficinus vertit: *Qvoniam omnis voluptas atq; dolor qvasi clavum tenens animam corpori affigit atq; connectit, efficitq; corpoream adeò, ut jam opinetur ea esse vera, qvæ svadeat corpus.* Ubi Serranus προσπερονᾷ optimè reddidit, *qvasi fibula innectit.* Similî translatione ad Vestiariam presfiùs alludens
Serm. 91. D. Petrus Chrysologus de Annunciatione & Conceptione D. Jo. Baptistæ: *Nascitur major homine, par angelis, tuba cæli, præco Christi, arcanum Patris, Filii nuncius, signifer superni Regis, peccatorum venia, Judæo-*

Judaeorum correctio, vocatio gentium, & ut propriè dicam, Legis & Gratiae fibula, quae diploidem summi sacerdotis Sancto Patri jungebat in pectore. Itáne de palpebris apud Euripidem Polymnestor? Hecuba. v. 1169.

ἐμῶν γὰρ ὀμμάτων
Πόρπας λαβοῦσαι, τὰς ταλαιπώρους κόρας
Κεντοῦσιν, αἱμάσσουσιν.

meorum enim oculorum
Fibulas quum corripuissent, infelices pupulas
Fodiunt, cruentant.

Notat qvoq; conservatorem: *Esto mihi apud dominum Faustum amoris mei fibula, si querelas, qvamvis angustas & rusticas, studes evadere.* Lib. I. Ep. 2. Sed Ennod. vox haec etiam *Faenus* vel reditum videtur notare: *Scalpe sarculis uberem terram; qvae si nostri est germinis, fibula sit tuis profectò laboribus responsura.* Orat. 4.

Ceterùm qvae fuerit Fibulae huic operi destinatae Materia plerosqve pariter latet, ac ejus Forma, qvam Celsus siluit. Metallicam fuisse illam subinnuit ipse, qvum ait *qvò levior, eò melior.* De re Med. L. 7. c. 25. Qvod planè confirmat adductum nuper Plinii testimonium. Sed omnium evidentissimè hoc ipsum addocet Martialis illud: Lib. 9. Epigr. 28.

Jam Paedagogo liberatus, & cujus
Refibulavit turgidum faber penem.

Utut Gerardus Joannes Vossius immensae lectionis vir antiqvis verbum *Refibulare* derogat. L. 4. c. 20. de vitiis Sermonis. Id verò non aetatis beneficio, nisi forsan in liberis aut servis pileo donatis, sed heri mandato factum, sic insinuat idem alibi: Lib. 11. Epigr. 77.

Servo Caelia fibulam resolve.

Fibula itaq; ferruminabatur. Vir qvidam rerum literarumq; veterum scientiâ Patavii qvondam clarus etiam heri sigillo munitam suspicabatur, ut ipsius arbitrio amoveretur. Credat, qvi volet. Neq; enim id ita iis absurdum erit, qvi nórunt omnem penum sub anuli custodiam venisse; ad qvam penem qvoq; redigere promtum erat iis, qvibus in servos qvidvis licebat. Circulum qvidem hunc fuisse æneum arbitrati sunt pleriq;. Qvod tamen non ita liqvet: nisi id ex parte suggessisse censebitur

Sat. 6. vetus Interpres, cujus hæc exstant ad illa Juvenalis:

nullius fibula durat
Vocem vendentis Prætoribus.

Fibulam dicit Circellos, qvos Tragœdi sive Comœdi in pene habent. Ejus tamen haud tanti apud me autoritas, ut vel hoc ipsi ingratiis concedam, nisi major vis foret commoditatis, qvòd forma circularis huic usui concinnior. Ideoqve Joan. Britannicus non malè hoc loco Anulum tenuissimum, argenteum, aureum, sive æneum, intelligit. Talem olim virilibus non caligis, ut notat ad Jo. Rosini antiqvitates Dempstherus, insertum ut credam, qvæ de qvorundam apud Turcas Monachorum verendis prodita, svadent; cujusmodi apud Ægyptios etiam castitati deditos notavit diligentissimus Professor Patavinus Joannes Veslingius; item anuli versatiles, non usq; ponderosi, qvibus vulgo ferarum ora constringi videmus; pudenda pariter: qvæ anulo æreo in jumentis dum claudunt Veterinarii, Italis venustè dicuntur *Sposare*. Præter hæc doctissimus Hieron. Pradus in Ezechiel, Cap. 16. v. 12. è Theodoreto

Syftem. Anat. C. 6.

anno-

annotat, ferreum anulum naribus taurorum olim injectum, qvo huc atqve illuc circumducebantur. Hinc divinus Vates: *Ponamus circulum in naribus vestris, & frenum in labris, & reducamus vos ad viam, qvâ venistis.* Boum etiam auriculas fibulâ, hoc est, circulo signatas tradit Columella scriptor diligentissimus; cujus hæc verba in membranis: *Æneâ fibulâ pars auriculæ latissima circumscribitur, ita ut manente sangvine, tanqvam O literæ ductus appareat orbiculus. Hoc & intrinsecus, & ex superiore parte auriculæ qvum factum est, media pars descripti orbiculi eadem subula transuitur.* Ubi melior codex Vaticanus: *fibula transuitur.* Et Libri ejusdem Cap. 17. *illius sanatur noxa fibula ahena*, pro qvo in vulgatis *subula ænea.* Idne sensuit Publius Vegetius? *ad acum vel acutum cuprinum pars auriculæ, qvæ lata est, qvasi circulo signatur.* Qvaliter intelligendus idem, qvando ait: *acuto cuprino circines locum. Postea corio perforato radiculam interseris.* Hæc autem si expendantur accuratiùs, optima videtur eorum animadversio, qvi meliorum librorũ autoritate apud Columellam malunt *subula.* Talem qvippe nostri calceolarii communiter tubulatam in modum figuræ circularis usurpant, ad perforandum corium, qvà ligulæ inseruntur. Nec alium credo intellexisse Palladium, qvando jubet caprini stercoris baccam subula subtiliter excavare. Huic deinceps Materiæ fibulæ, indicio vetusti codicis Vaticani, ex Galeno atq; Heliodoro non parum lucis suggerit Oribasius de Machinis Chirurgicis ita differens: *Æs levius & facilius tractatur, minusq; rubiginem trahit, qvàm ferrum. Ære effica-*

Isai. Cap. 37. v. 29.

Lib. 6. c. 5.

Art. Veter. Lib. 3. c. 11.

Lib. 1. c. 11.

De re rust. L. 2. Tit. 14.

cap. 3.

efficacius robustiusq; ferrum est. Sed supervacuum est eximium robur, ubi ejus nullus est usus. Et paulò post: *licet tamen ex ferro fabricare. Qvòd si ex ære fiant* (organa) *sumatur id, qvod ducitur.* Antiqvissimum

De Med. verò ejus usum innuit Hippocratis præceptum: χαλκώματι δὲ, πλὴν τῶν ὀργάνων, μηδενὶ χρῆσθαι. *Æris*

Arist. Sect. *præterqvam in instrumentis, nullus usus esto.* Adde,

9 Probl. 10. Philosophi judicio Æs naturâ frigidum, & substantiæ

Sect. 1. *Prob.* rarioris ac laxioris, itemq; λειότερον, id est, lævius,

36. & 35. qvàm ferrum, & medicamenti vim habere. Qvan-

Meth. Med. qvam utrumqve Galeno autore propter substantiæ

L. 9. *C.* 17. stabilis frigiditatem ac siccitatem. Inde summo ju-

Art. Vet. dicio P. Vegetius: *Collectiones qvascunq; feceris, inuri*

Lib. 1. *c.* 14. *rectis cauteriis convenit: & ut efficaciùs prosint, cupri-*

cap. 28. *nis cauteriis est utendum. Sciendum verò cuprina cauteria plus effectus ad curandum habere, qvàm ferrea.*

Lib. 2. *c.* 6. Rationem se tamen ignorasse indicat, qvando ait: *cautere ferreo, vel, qvod utilius creditur, cuprino combures.*

cap. 48. Postea cauterium cuprinum ex aliena sententia lau-

cap. 61. dat: etiam sua. Optimo proinde consilio Celsus de

Lib. 3. *cap.* (84.) 87. ulceribus pedum ex frigore: *Si nondum adapertum*

Lib. 3. *c.* 6. *ulcus, æs qvam maximè calidum qvis pati potest, admovendum est.* Ea si vera sunt, ut Naturæ consulti verissima qvidem arbitrantur, è metallis præsenti negotio nullum eo ferè fuit commodius. Magis ad rem forsitan Festus, qvi notat, qvòd *Circites circuli ex ære facti*, ut Circes circitis à voce Circus verè de-

Ad Tert. de duxerit Cl. Salmasius; nos forsan & *Circitores*, qvi

Pall. p. 375. apud Flavium Vegetium vigilias circumibant, &

De re mil. renunciabant, si qva emersisset culpa: etiamsi qvi-

lib. 3. *cap.* 8. dam potiùs *Circuitores* legunt. Hodiè servatâ ori-

ginatio-

ginatione, Italis ac plerisq; nationibus *la Ronda*. Qvam appellationem Poeta in horti custodes transtulit:

Qvid mecum tibi Circitor moleste. *Priap.*

Unde in Exceptis ex vet. Lex. Græco-Latino Cap. de Agricultura, *Circitor* Κυκλευτὴς: vestiumq; institores id nomen Ulpiani ætate obtinuerunt. Circulatores etiam interpretatur eruditissimus Jo. Laurenbergius; *Supplem. Antiq.* apud qvem Lexico Græco-lat. veteri *Circitura* item Περιοδία, Περιοδεία & περιόδευσις Phavorino, id est, Circuitus. *Lustratores* concinnè reddidit vetus Glossa: ubi *circito*, κυκλεύω & περινοστῶ. Κίρκος enim, à κιρκόω, ligo anulo, seu ducto in orbem vinculo; item, anulis trajicio, infibulo, aut fibulæ modo pernecto; idem Poeticè, καὶ ἐν ὑπερθέσει Phavorini monitu, qvod communiter Κρίκος, Ansula est, sive Anulus diversis usibus distinctus. Inde qvi Plinio *Nat. Hist. L. 13. c. 9.* Anulus velaris; apud Herodotum ἱστίων κρίκος *velorum ansula*, & Jul. Poll. per qvem rudentes trahuntur. *Lib. 1. c. 9. n. 4.* Qvamvis enim κρίκοι εἰς τοὺς στρωματεῖς apud Theophrastum eruditis Anuli sunt velares qvibus aulæa contrahuntur, vel extenduntur: autori tamen elegantissimo de navium costis sermo est. Qvid autem vetat etiam nauticos intelligere, siqvidem & hodie tales in Septentrionalium naviculis cornei ac lignei conspiciuntur, qvibus vela antennis pendent. Κρίκοι etiam Hippocrati anuli orbibus ex corio Ægyptio *Mochl & de Fract.* insuti ad cruris luxati distentionem. Hesychius paulò laxiùs: Κρίκοι, ἅρπαγες, πάντα τὰ ἐπικαμπῆ, κίρκοι λέγονται. Eâ voce scienter de Chamæleonte in hunc *Hist. Anim. Lib. 2. c. 11.* modum usus Aristoteles: περιαιρεθέντος τοῦ ἔξωθεν δέρματος.

δέρματος τῶν ὀφθαλμῶν, περιέχει τι διὰ τούτων οἷα κρίκος χαλκοῦς λεπτός. Gaza vertit: *cute exteriore detractâ oculis, qvidam lucens velut anulus aneus tenuis nullâ pelle interseptus cingit.* Ad præsens institutum magis faciunt Scholiastæ Æschyli in Argumento Tragœdiæ, ἕπτα ἐπὶ Θήβαις, hæc de Lajo verba: ἡνίκα ὁ Οἰδίπους ἐγεννήθη, διαπερήσας τοὺς πόδας αὐτοῦ, καὶ χουσέους κρίκους διαπερονησάμενος, ἐν Κιθαιρῶνι τοῦτον ἐξέθετο. Qvæ sic reddo: *utprimum natus est Oedipus, perforans ipsius pedes, & aureis circulis infibulans, in Citherone* (monte) *ipsum exposuit.* Legendum enim videtur: καὶ χρυσέοις κρίκοις διαπερονησάμενος. Ille verò qvid hic præter fibulas sive compedes innuit? Nullam tamen hujus figuræ in scriniis initiò habuit Pignorius Fibulam,
Pag. 82. qvamvis in Libro de Servis aliunde forsan reliqvis fuerit appicta, ne qvid operis elegantiæ aut lectoris
Pag. 84. curiositati deesset. Qvod nec ipse dissimulavit, ambigens ait, hujusmodi unam vel alteram videri posse, qvarum delineationem exhibuit. Qvæ enim circularis ibidem conspicitur, veriùs ab ingenio, qvàm ex archetypo est, siqvidem arctior deprehenditur, qvàm ad usum nostrum. Emisso autem Commentario verisimile est postea incidisse in eam, qvam inter qvædam rejicula casu inventam ab ipsius herede impetravi, certus minutissimorum etiam indagatorem sagacissimum temerè nihil reposuisse. Hujus accuratum eò libentiùs subjicio exemplum, ut de ipsa Antiqvitatum peritiores aliqvid seriò cogitent, qvam in illa Urbium Principe Roma & unico monumentorum promtuario frustra apud eruditissimos etiam viros solicitè qvæsivi. Ex ære Corin-

rinthio anulus eſt, ejus qvæ hic videtur magnitudinis, ærugine undiq; incruſtatus, etiam qvâ fiſſuram; ut neqve hæc exiſtimari debeat à recentiori qvadam lima; eaq; ipſius laxitas. ut facilè potuerit cuti genitalium injici paululum diductus; nunc tamen à ſitu ita debilis, ut opportuna injuriæ ſubtilitate ſine fracturæ metu vix divaricari posſit. Armillam ut credamus, renuit ambitus ita ſtrictus, ut nec infantis pridem nati brachio induci posſit. Aliis uſibus refragatur ejus diviſio, qvæ cingulis aut cortinis ob ſciſſuram inepta. Conjecturam meam probabiliorem facit communis ſimilitudo judicii, qvam mecum communicare placuit elegantis doctrinæ Viro ſingulari Franciſco Bernardino Ferrario Doctori Ambroſiano, qvi poſt doctisſimas Cl. Kirckmanni de Anulis meditationes neqve ſuas ſeculo invidebit. Neqve hunc pudicitiæ cuſtodem ei, qvo utuntur Turcarum anachoretæ, multum ſibi videri disſimilem, nobilis Eqves Casſianus à Puteo humanisſimè Româ ſignificavit.



Sed neqve in lectisſima antiqvitatum ſupellectile Jo. Vincentii Pinelli ſimilem exſtitiſſe, vel inde opinari licebit, qvod Fabricius ab Aqvapendente in Operationibus Chirurgicis fateatur ſe Viro Illuſtri debere Fibulam, qvâ veterum Infibulationem ſuis auditoribus declaravit. Ea tamen alia non erat qvàm Veſtiaria, ſimilis omninò primæ à Pignorio depictæ inter vetuſtiores; qvas neq; pro ſuo can-

L dore

dore hic ipse alias statuit. Talem anniversaria operationum chirurgicarum exercitatione in Theatrum qvoqve Patavinum protulit nostrâ memoriâ Adrianus Spigelius Eqves, Anatomicus diligens ac eruditus. Is verò nimiâ credulitate in communem lapsus errorem cum Præceptore suo, Sene optimo, parum animadvertit, figuram acus rectangulam incedentibus attritu fore incommodiorem fibulâ circulari. Qva etiam de causa mihi non parum suspecta, qvam eruditissimi viri divinatione eodem loco habet Franciscus Ursatus. Ut sileam, inter

In Almag. Ptolem.



planas figuras nullam Theonis Alexandrini scito minus spatium occupare, qvàm rotundam; qvæ sic omnium minima, etiamsi capacissima. Qvod nec ignoravit cultissimus rei Rusticæ scriptor Varro, cujus hoc egregium de Area judicium: *Omne brevissimum in rotundo è medio ad extremum.* Qvo nomine idem non minus verè postulavit ad *villas rotunda stagna: qvod rotundum facilimè continet; anguli maximè laborant.* Autorum igitur emendationi incumbentes ad Plinii Junioris, etiam à Claudio Minoe J. C. castigati, oram frustra adscripsere runt △ literæ, qvam secundæ lectionis ultrò fatetur Joan. Maria Catanæus; siqvidem Varroni optimè consentiunt Autoris verba: *in prima parte Atrium frugi, nec tamen sordidum: deinde Porticus in O literæ similitudinem circumactæ, qvibus parvula, sed festiva, Area includitur.* Qvæ verò de acus crassitie ponderisqve

L. 1. C. 51.

De lingv. Lat. Lib. 4.

L. 2. Ep. 17.

Not. ad h. l.

risqve molestia adferunt qvidam, hujus sententiæ vim parum infringunt: qvandoqvidem Turcarum Sacerdotes hodiè eâ facilitate circuli amplitudinem sustinere compertum est, ut sola lævitas in primis videatur exigi. Prius enim incommodum cicatriculæ jam acu & filo inductæ absq; negotio submovebant, modò foraminula satis ampla, sicut in his qvi inter Afros etiamnum, ut qvidam antiqvitùs, *Cels. Lib. 7. Cap. 8.* maximeqve Pœni, majora pondera auribus gerunt; itemqve in Virginia, ubi, referente Jo. Laetio, infimæ *Nov. Orb. descr. Lib. 3. Cap. 17.* auriculæ utrinqve tribus in locis perforatæ varia appenduntur. Nec verò qvidqvam huic sententiæ obstat, qvòd vetus Celsi codex Florentinus, omnium qvos hactenus vidi MSS. optimus, legat: *Fibula qvò levior, eò melior:* qvod Constantinus etiam ad marginem habet. Qvalis etiamdum hujus vocis scriptio in castigatioribus Libris à Gryphio, Rovillio, Tornæsio, Raphelengio editis, & in MSS. Italiæ omnibus exstat. Veteres enim librarii primiqve chalcographi Diphthongum Æ simplici vocali E ubiq; commutârunt. Eam scribendi consvetudinem Josephus Scaliger in Conjectaneis ad Varronem *Lib. 5. & 6.* de Lingva Latina etiam notavit, ex Festo addens Diphthongos non fuisse à rusticis prolatos. Idem Latinorum exemplo scripsisse Græcos Ερεκορυπτι, *Lib. 4. Ep. 336.* *Ærecorrupti*, in veteri Juris Lexico Petri Danielis observavit. Vocula tamen Enclitica *Qve* à Pronomine *Qvæ* in vetustiori potissimùm codice Florentino passim magnâ religione distincta reperitur. Qvin antiqvos pro *Æs*, scripsisse *Es*, *Erare*, *Eratus*, *& Aderare*, autoritate veteris Glossæ eruditissimis

P. 189. v. 21 in Trebellium Pollionem Notis, itemq; ad Tertul-
De Pal. 290. lianum ostendit Cl Salmasius: qvanqvam Gulielmus Canterus subjunctivam Dipthongi vocalem librariorum negligentiâ omissam censuit; qvam tamen retinuit Casaubonus. Ideoq; pro distinctiori
L. 7. Cap. 3. & 26. intelligentia ad textum Cornelii Celsi diligenter addidit Robertus Constantinus *Læve.* Imò, in hunc
L. 8. C. 1. ipsum auctorem monuit idem morosiùs, Lib. 7. c. 26. pro *Levior* scribendum *Lævior*, etiamsi *Levis* λεῖος dicatur Græcis; eodemqve modo ab hac voce Lib. 5. Cap. 13 & Lib. 8. Cap. 3. denominatum videtur ver-
L. de Arbor. bum *Levare*, ac *Delevare* Columellæ usurpatum,
C. 6. & 9. qvod Plinio Medico, qvem Valerianum vocant alii,
De re Med. est *Levigare.* Ita Virgilius:
L. 4. C. 8. *Gnosia bina dabo levato lucida ferro.*

Columella etiam Lib. 3. Cap. 15. de vite: *nodosq; & cicatrices allevare.* Ita Scrib. Largus passim Collyria aliaqve medicamenta levia commendat: nec
L. 17. C. 9. Agellius ineleganter *caput leve* dixit, qvod jam de-
L. 2. C. 3. rasum; qvaliter λειοκάρηνος apud Jul. Pollucem à
L. 5. C. 2. Rodolpho Gualthero vertitur. Palladius Rutilius ter-
L. 6. C. 6 De re Rust. ram laudat, qvæ virgulta protulit levia. Idem apium
L. 1. Tit. 5. Reges notat leves, sine pilo. Publio Vegetio mucus
L. 7 Tit. 7. etiam levis ab interioribus venit: non *lenis*, velut
Art. Veter. in recensione Joannis Sambuci legitur. Qvæ exem-
L. 2. C. 36. pla si nimis ambigua vel familiaria cuipiam videantur, qvid oberit, qvò minus *Levior* hîc sit *Tenuior*,
L. 7. C. 10. *Majori* opposita, non aliter qvàm Celso *Levis tumor*, id est, exiguus nimis magno est contrarius, itemqve
Orat. 3 pro *levis plaga: impetus levior, major*; & Ciceroni *Lene &*
S. Roscio. *tenue nomen*, exile debitum; λεπτομερῶς, μικρομερῶς

Pha-

Phavorino? Datâ enim Materiæ paritate, qvò minor Fibula, eò levior eſt. Qvá ratione loco nuper memorato Κεῖνος non ineptè Philoſophorum coryphæo fortaſſis λεπτὸς dicitur, qvod in Lexico Græco-Lat. veteri eſt *Tenuis*; qvemadmodũ Apul de Herbar. Viribus Artemiſia more Græco Leptophyllos, qvam Latini Tenuifoliam appellabũt. Ea notione Martialis: *Cap 13.* *L. 5. Ep. 6.*

Per cujus digitos currit levis annulus omnes.

Fibula autem iſta non ſemper erat nuda. Acceſſiſſe nimirum velandis inguinibus thecam qvandam, vel ejus vice alutam, id eſt, pellem tenuem ac mollem, ex Martiale manifeſtum eſt; apud qvem *Lib. 7. Epigr. 34.*

Inguina ſuccinctus nigrâ tibi ſervus alutâ
Stat, calidis qvoties tota foveris aqvis.

Calderinus ergo parum cautè ad Poetam notavit, Fibulam fuiſſe veſtem Theatralem ſive indumentum aut ſubligaculum Hiſtrionum ex aluta nigra, à genibus protenſum usqve ad umbilicum; niſi forſan totius nomine partem acceperit. Secus enim ea parum à feminalibus differret: de qvibus poſt Bayfium eruditisſimus Polyhiſtor Iſacus Pontanus benè in Gloſſario Priſco-Gall & ejusdem Auctario. Amiculum hoc verò ſolis virilibus deſtinatum, ſatis explicat Iſidorus, qvi Gymnaſium ex illo dictum refert, qvòd ex conſilii decreto, permittente Hippomene, juvenes nudi exercerentur in campò, ubi ſola pudenda operiebantur cinctu ſive latâ zonâ, qvæ inde campeſtre dicitur Horatio, & Aſconio Pædiano: qvalia etiam extra balneum & miniſteria olim Semicinctia Gymnaſtarum. Tale apud Juvenalem *Subligar Acne*, vel qvod magis placet *Acci*: qvod Vetus Scho- *Orig. lib. 18. c 17. Lib 19. Cap. 33.* *Ep. Lib. 1. In Orat pro Scauro. Sat. 6.*

Scholiastes Tragœdi vestem interpretatur; Jo. Britannicus indumentum velandis inferioribus corporis partibus. Eamqve opinionem eò fidentiùs amplector, qvòd eruditorum consensu stabiliri videam, qvos neqve vetustissimorum autoritas destituit: è qvibus, Vallâ interprete. unum hoc sufficiet Thucydidis testimonium: *Olim in Olympiaco certamine athleta subligacula circum verenda habentes pugnabant.* Et mox: *apud Barbaros & Asianos præmia pugilibus ac luctatoribus proponuntur, & hi subligaculis in certamine utuntur.* Barbarorum forsan appellatione Romanos intellexerit, ut hi olim Germanos ceterosqve imperio divisos. Qvâ etiam libertate Plato exteras nationes & à Græca diversas vocat barbaras. De Sicilia pariter disputans vetustissimus Schylax Caryandensis. Nec male Fridericus Taubmannus apud Plautum *Barbaricam urbem* interpretatur *Italicam.* Eundem verò ritum Romanis etiam servatum indicat Clemens Alexandrinus; & longè prior confirmat Tullius: *Scenicorum qvidem mos tantam habet vetere disciplinâ verecundiam, ut in scenam sine subligaculo prodeat nemo.* Plutarchus etiam notavit, *Lupercos nudos in subligaculis discurrere.* Apud Procopium etiam invenio, sine subligaculo in Theatrum prodisse neminem: ὅτι ἐνταῦθα (Τυμνῷ Cod. Mediolan. M.S.) παντάπασιν προελθεῖν οὐδενὶ ἔξεστιν, ὅτι μὴ τῷ ἀμφὶ τὰς βουβῶνας μόνον διάζωμα ἔχοντι. *qvod illuc nemini prodire sine subligaculo penitùs liceat.* Ita qvidem Græca verba interpretatus fuit Nicolaus Alemannus: qvæ licet in Bibliotheca Vaticana non minùs, qvàm in Mediolanensi, prolixæ narrationi inserta reperiantur, cetera

Lib. 1.

Cratylo.

Periplo.

Captiv.

Pædag. L. 3. Cap. 5.

Offic. L. 1.

Arcana Hist. L. 9.

cetera tamen verecundiæ causâ præteriisse puto virum optimum; qvæ Ludovici Elsevirii industriâ propediem integra legentur. Qvin Alexandriæ, ubi thura interpolantur, ne furentur, subligaria opificibus signari tradit Plinius. *Nat. Hist. L.12, C.14.* Sed nec satis ad Poetæ mentem *aneam thecam* exposuit ibidem, Calderinus *nigram*, qvòd Fibula ex aluta nigra esset. Qvidni enim possent etiam verenda æqvè thecâ arctari æneâ, qvàm alutâ; qvum neqve ingeniis nostræ ætatis etiam in seqvioris sexus custodiam similis ratio defuerit? Qvod enim Florentiæ è publico armamentario advenis spectandum depromitur hujusmodi pudoris claustrum; qvodq; Basileæ in Museo Cl. Medici Thomæ Plateri servatur, ne qvis in speciem fabrefactum putaverit, vetat alterum antiqvi operis qvod Venetiis in Palatio Sereniss. Ducis ostenditur. Hujus primæ tamen vetustati usum qvoq; deberi, Sacra pagina nomine *Cumaz* insinuat: *Num.c.31. v.50.* qvod Sanctes Pagninus ibidem *Subligaculum* interpretatur. Cajetanus D. Hieronymi qvidem exemplo *Murenulam* appellavit, Hebræis tamen vulvæ ornamentum fatetur. Qva etiam ratione Pagninus ornamentum muliebre circa pudenda exponit, *Thesauro ling. san.* motus fortassis autoritate R. Salomon, qvi ad Exod. 35. v. 22. ait instrumentum aureum naturalibus feminæ oppositum; qvemadmodum & R. David Kimki ornamentum locorum muliebrium; additq; ad Numer. locum modò allatum formam esse loci genitalis in muliere. *Num.31. v.50.* Qvod R. Elazar Talmud Sabbad pag. 67. confirmat. Inde R. Joseph verè conficit, idem esse qvod *Macboch* in Talmud, rem scilicet ridiculam: idqve

Racca

Racca voce ipſa ſignificari animadvertit. *Cumàz* nempe innuit *Can macom zima*, id eſt, *hic eſt locus fornicationis.* Qvam interpretationem etiam R. Salomon ex Rabbinis repetiit, qvibus dubio procul ejus uſum ita ſubindicare libuit. Leo itaq; Mutinenſis inter cetera ingenii decora carminis Hebræi gloria præcellens magis ad rem Etruſcè reddidit *Serraglio*, qvàm in Arca Noæ Marcus Marinus, qvi de vero ſenſu ambigens Hebræum nomen retinendum cenſuit. Ea verò Grammaticorum ſit cura: nobis ejusmodi ritus originem inveſtigaſſe ſufficit. Lautiores certè Indos genitalia in cannulam auream abdere narrat Gonzales de Oviedo, tenuioris fortunæ ceteros exſertis teſtibus veretrum conchæ includere; qvam Petrus Martyr marinam affirmat. Eundem, qvi eſt Fibulæ, uſum ejus videtur indicare Martialis:

Rhamus. *Navig. To 3.*

L.11.Ep.76.

> *Thecâ tectus aënea lavatur*
> *Tecum Cælia ſervus.*

Et poſteà: *Servo Cælia fibulam remitte.*

Illâ qvippe non minùs libidini, qvàm verecundiæ, conſulebatur. Hinc infibulatis cutem, qvæ ſuper glandem eſt, ſemper fuiſſe perforatam vix aſſeveraverim: nedum, qvod putavit doctisſimus ceterorum qvin Fallopius, trajectum anulo penem ac præputium. Subligaculo nempe in arena certantibus tegebantur virilia, nondum in Latium à Barbaris introducto Braccarum uſu: cui Fibulam fuiſſe appoſitam notat Salmuth ad Pancirolum. Unde nec malè Fallopius ab antiqvorum Fibula parum differre ſtatuit

De Vuln. To. 2. Tr. 6. Cap. 12.

ſtatuit eam, qvâ pueri ſuâ ætate utebantur in caligis: cujusmodi Bononiæ non minùs commodi qvàm elegantes hodiè fabricantur. Qvâ ferè mente S. Petrus Damianus: *Sanctis eorum femoribus volui feras apponere.* Tale qvid forſan Martialis voluit. Neq; enim adeò inanis hæc mea eſt conjectatio, ut non idem aliqvando cenſuerit Joan. Britannicus, qvi ſuis ad Juvenalem Commentariis Poetam utcunq; intelligere malit *tenuisſimum filum, ſive aneum, ſive argenteum, qvod præputio ab utroq; latere ſuper glandem perforato addebatur:* alteram nihilominus Fibulæ ſpeciem admittit *Indumentum, qvo non ſolùm utebantur ad inguina tegenda, ſed etiam ut à libidine comprimerentur.* Idem ſubodoratus fortè Andreas Baccius erudito de Thermis commentario ait: *nonnulli inter exercitationes, aut ſuccinctâ fibulâ prodire ſolebant, aut ſubligaculis, qvæ & ſubligaria vocabant.* Qvod ſatis convenit cum veteri qvodam ignoto Juvenalis Interprete in membranis cænobii S. Joannis in Viridario Patavii, ubi *Fibula* hoc loco *Zona* exponitur: cui ſimilis alter in Bibliotheca S. Antonii Confeſſoris Fibulam ait, qvâ ligantur inguina: qvaliter Fibulæ nomine apud Tertullianum B. Rhenanus & Hadrian. Junius videntur fibulæ adſtrigmentum intellexiſſe. Nulla enim Martialis joco alioqvin occaſio eſſet:

Delapſa eſt miſero fibula, verpus erat.

Locus certè obſcurus adeò, ſi ad Celſi Infibulationem examinetur, ut Joſepho Scaligero ſummi ingenii viro ſatisqve in conjecturas audaci hæc verba extorſerit: *Si verpus, hoc eſt, ψωλὸς καὶ ἄνευ ἀκροβυστίας, qvomodo illi induci potuit Fibula? Valdè miror.* Enimvero

Præfat. Opuſc. XVII.

L. 7. Ep. 81

Sat. 6.

L. 7. C. 12.

Lib. de Corona milit. Cap. 11.

Adag. Cent. 7. n. 34.

L. 7. Ep. 81.

vero si à fabro refibulari consveverat, neq; ab alio demi Fibula, qvæ indebatur, non nisi ponderis vi pelle attritâ Menophilo excidisset. Qvod qvàm difficile, expendant sagaciores: nisi eam turgente membro retractam qvis violenter laceratam malit. Id verò non ita proclive in parte pendula, cujus foramina cicatriculis occalluerunt; præcipueqve in
L 7. C. 27. molli, qvæ, ut est apud Celsum, seqvax, & facilè adducitur. Accedit, qvod Adolescentulos *interdum*
Cap. 25. infibulatos referat Celsus. Imò, ipsi hoc qvidem sæpiùs inter supervacua, qvàm inter necessaria est. Non ergò semper, nec omnes, tali rigore servabantur: sed pueri potiùs vocales, veluti monet vetus
Sat 6. v. 47 Juvenalis Scholiastes. Qvorsum igitur, ut comminiscuntur qvidam, Judæus hoc figmento tributum
Vespasian. declinasset? Vix enim id tanti; qvum, Xiphilino autore, Judæi, qvi patrios ritus servare vellent, didrachmum qvotannis Jovi Capitolino inferrent.
Lib. 5. contra Celsum. Gravior haut dubiè causa suberat, opprobrii forsan motus. Qvâ etiam dexteritate hîc personam finxisset, qvum nulla huic genti certamina fuisse prodat Origines? Contrarium qvidem Josephi testi-
Singular. monio qvomodo evincat Martinus de Roa, non satis
L. 6. C. 16. video; qvandoqvidem verè idem, nec sine sacri
1. Mach. v. Codicis consensu, Theatrum & Amphiteatrum à
15. & 2. moribus Judaicis aliena scribit. Esto, qvòd Hero-
C. 4. v. 9. des Judeæ Rex theatrum & certamen qvinqvennale condiderit ad honorem gratiamqve Augusti; aliisne potiùs, qvàm Judæis? At si etiam his; qvomodo potuisset qvæso hîc Celsi nostri præceptis peræqvè satisfieri? qvî cutis, qvæ super glandem est, extendi,

ac

ac utrinqve notari à lateribus atramento qvà perforetur, deinde remitti? qvomodo, ſi ſuper glandem notæ reverterentur, deprehendi potuit nimis adprehenſum eſſe, & ultra notari debere? qvomodo potuit glans ab iis libera eſſe, & locus idoneus fibulæ, ubi non modò amputatum undiqve ejus tegumentum; ſed, qvod ab Hebræis factum vidi, cutis reliqvum ungvibus laceratum rupto freno non mediocri vi citra colis circulum reducitur? Hoc autem exciſum (non, ut parum ad Philoſophi mentem Gaza, *vulnere obducto*, ſeu, qvod Auguſtino Nipho placuit, *superinducto*) coaleſcere negavit Ariſtoteles. Verba ejus ſunt: ὃ ἐὰν διακοπῇ, οὐ συμφύεται. Hiſt. Anim. L. 1. C. 13. Optimè qvidem ex ſententia Hippocratis; cujus decreto, ἐπὴν διακοπῇ ἡ ἀκροποσθίη, οὔτε αὔξεται, οὔτε ξυμφύεται Rectè Jo. Heurnius: *ubi præciſum eſt præputium, neq; augeſcit iterum, neq; coaleſcit.* L.6. Aph. 13. *Præcidere* namqve propriè eſt, *Amputare*: qvod ferramentis alioqvin peculiare Scribonius Largus de Triphera medicamento proferre non fuit veritus. Comp. 230. Ita Celſus V. C. Florentini fide, qvem Cajus & Aicardus probarunt: L. 7. C. 4. & c. 29. 31. *Coſta præcidenda, & eximenda eſt*, ubi vulgati omnes, *decidenda*. Item: *Remedio eſt cervix præciſa.* Et: *vena præciditur.* Mox: *abſcinditur.* Tullius: *Cinna collega Cn. Octavii præcidi caput juſſit.* Tuſch. 5. Columella: *conveniet radiculas præcidere, qvæ ſic ademptæ non ampliùs pullulant.* L. 4. C. 8. Nemo autem Martiale ad rem noſtram clariùs hanc verbi vim oſtendit: L. 4. Ep. 48.

Præcidi gaudes: præciſus, Papile, ploras,

Qvàm benè Leonicenus reddiderit maximi Senis verba: *qvum discissum fuerit*, & Jul. Scal. *quæ si secetur*, pariterq; Anutius Foesius, *perfectum*; judicent utriusq; lingvæ periti. Camerarius, qvamvis Græci sermonis suâ ætate doctissimus, justo fortassis indulgētior Gazæ interpretationem admisit contrariam Medicorū experimentis: qvos nec ratio destituit, qvâ ipsis longo jam usu sancitum, adscititium Numeri deficientis in parte, ut sic dicam, seminali morbum prorsus incurabilem. Liberior etiam Marcelli Virgilii in Dioscoridem conjectura, dum pro ῥηχθέντα legendum suspicatur τμηθέντα, qvando sic ille de Aloe: ἐπαγώγια παίδων ῥηχθέντα παρακολλᾷ. *Disrupta puerorum præputia adglutinat*, sive jungit vi emplastica. Magnitudinis enim vitium, aut Figuræ in defectu, non significari, sed connexionis, rupturam puta, sive divisionem indecorâ brevitatis specie, nullâ parte mutilâ, aliis in locis ipse declarat. Qvid enim his de Melle apertius? Λειποδέρμους τὰ τοὺς μὴ ἐκ περιτομῆς ἀποκαλύψει, μαλασσομένης τῆς πόσθης τῷ μέλιτι, μάλιστα ἀπὸ βαλανείου ἐφ' ἡμέρας λ'. *Verpis seu curtis glandem, quæ citra circumcisionem nudata sit, in integrum restituit, si molle præputium à balneo potissimùm ad dies triginta emolliatur.* Item, de Thapsiæ succo: χρηστμένοι δ' καὶ ἐπὶ ἐπαγώγια τῶν μὴ ἐκ περιτομῆς λειποδέρμων, οἴδημα ἐγείρων ὅπερ καταντλούμενον καὶ τοῖς λιπαίνουσι μαλασσόμενον, τὸ ἐλλειπὲς τῆς πόσθης ἐκπληροῖ. *Valet & ad integendam colis glandem, si modò alia ex causa qvàm circumcisione nudata fuerit. Tumorem enim excitat, qvi & fotibus & pingvibus adbibitis emollitus præputii jacturam resarcit.* Ita qvidem post Ruellium Saracenus vertit. Magis forsan

Marginalia: *Comm. utr. Ling. P. 355. v. 11.* — *Mat. Med. L. 3. C. 25.* — *L. 2. C. 101.* — *L. 4. C. 157.*

forsan ad rem : *qvod deest præputii explet.* Dilatatâ nempe atqve extensâ cute, qvæ glandem operit. Ubi Cl. Salmasius more suo rectè advertit naturâ *In Solin.* recutitos intelligi, nimirum qvibus glans nuda est *Cap. 52.* naturalis. Qvid igitur causæ, cur à recepta lectione *Cels. Lib. 7.* ad vetustissimi elegantissimiq; in bibliotheca Regia *C. 25.* Codicis autoritatem inclinans χειρισθέντα, hoc est, ipso interprete, circumcisa, qvàm ῥηχθέντα malit, qvum naturæ vitium ultrò admittat cum Dioscoride, qvi ubiqve μὴ ἐκ περιτομῆς λειποδέρμους proponit? His autem scalpellus, autore Celso, juxta pubem, *Loc. nom.* non circa glandis cutem convenit, ut iis qvi sunt circumcisi. Sileo, qvòd χείριξις non sit Hippocrati simpliciter sectio, sed Chirurgia, veluti monet Gale- *L. 7. C. 7.* nus ad Librum ejusdem de Fracturis : qvam Celsus egregiè manus curationem appellat, qvæ nempe manu adjuvatur ac perficitur : qvamqvam & amicus eruditissimus heic pudendum qvidpiam latere suspicatur. Nec tanti profectò unius Codicis antiqvitas, ut ab omni librariorum noxa indemnem arbitremur, ceterisve omnibus non vilioris forsan æstimationis in optimis Bibliothecis anteponendam; qvi procul dubio ex aliis ætate neutiqvam inferioribus studiosè descripti. Imò si qvod annis pretium, vix ulli cedet, qvi Viennæ inter cimelia Sacratissimorum Imperatorum habetur. Mihi verò dicis potius causâ, qvàm ex animi sententia, *De comp.* pro Dioscoride ista pronunciare libuit, eum, qvem *med. gen.* nulli secundum æstimavit Galenus, vix ratus adeò *L. 1. C. 4.* credulum fuisse, ut vires tam efficaces Aloæ affinxerit. Suspicionem mihi auget, qvod in antiqvo codice

Imperiali iſta verba non reperiantur. Qvæ Joannes Antonius Saracenus, Joannis Sambuci forſan indicio, monet abeſſe. Vulgatam ſanè lectionem codex Vaticanus & Regius Lutetiæ pariterqve Thuani refert. At Viennenſis ut ætate ſic fide ceteris præſtat. Sed alii diligentiùs viderint. Iſtius porrò inter Judæos ritus, qvem פריעה *Peringha* appellant ij, (non
De circumc. ad ſupplendum creaturæ defectum, ſed ad complen-
C. 2. Artic. dum morum defectum) tanta ſanè incumbit neceſ-
2. 3. 4. & ſeqq. ſitas, ut glande non integrè nudatâ Circumciſionem nullam pronunciet Rabbi Moſes Ægyptius, qvi cir-
Duc. Neutr. cumciſionem ad membri & concupiſcentiæ debili-
Part. 3. tatem conferre tradit; qvin iterandam cenſeant
Cap. 49. Doctores, ſi vel minimum pelliculæ emineat. ימול
Lib. 3. de *ymol* enim, Latinis *Amputabit*, Genes. Cap. 17. indicat
Præcept. 14. Præputium planè removendum. Qvod neq; omiſit
Part. c. 50. R. Jeudà Naſſi Judæis Sanctus Magiſter, & R. Joſeph Caro, qvi præcipuas veterum ac recentiorum in hanc ſententiam Rabbinorum documenta congeſſit. Legis qvippe myſterium erat, omnem ab electis
Jerem. c. 4. ſeparandam eſſe corruptionem. Hinc Divinus Va-
v. 4. tes eleganter: *Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium veſtrorum*, qvod Lyranus rectè de averruncandis vitiis intellexit. Imò Judæi ſe hoc ipſo actu diverſos fatentur à Turcis, qvi pellem ſimplici tantùm inciſione dividunt, non præcidunt. Ac tantum in hac gente mos ille valuit, ut nullis Domitiani, Nervæ, aut Hadriani legibus deleri po-
Adrian. tuerit: imò, referente Spartiano, *moverunt Judæi bellum, qvòd vetabantur mutilare genitalia.* Circum-
Defin. Med. ciſionem verò, qvam Galenus interpretatur ablationem

nem pellis, qvâ glans colis tegitur, hoc loco significari, vel inde constat, qvòd ipsi, teste Albucasi, Castrationem non admitterent. Cujus instituti rationem Rab. Moses Cuzzius, & R. Jabob è Talmud fusiùs exposuerunt. Domitianus tamen, Dione autore, in Titi contumeliam, qvi exsectos plurimum dilexerat, vetuit etiam, ne qvis in posterum intra imperii Romani fines castraretur. Idem commemorat Philostratus. *Chirurg. P.2. C.69.* *Hist. Rom. Lib. 67.* *De Vita Apoll. Tyran. L.6.c.17.*

Ægyptios refert Strabo *παιδία περιτέμνειν, καὶ τὰ θήλεα ἐκτέμνειν, circumcidere mares, & feminas excidere.* At qvorsum feminæ castrarentur? Clitoridis forsan exsectionem intellexit, qvam isti genti familiarem non magis describere voluit, ac alteram marium circumcisionem, qvum auditione solâ utramqve accepisset. Qvem locum miror Is. Casaubonum sicco pede præteriisse; qvum nec ab errore immunis videatur. Aliqvid enim desideratur, *καὶ τὸ περιτέμνειν*, qvod Xylander supplevit, dum addit *mares*, qvæ verò seqvuntur de feminis, aliunde forsan accesserunt. Neqve enim respondent ceteris, qvæ de Judæis memorantur: qvamvis & de his nihil in hanc sententiam alibi Strabo, qvod hîc promittit: ut nihil dubii, libros hosce ad nos venisse mutilos. Qvapropter res plana est; manifesta etiam sunt utcunq; ludentis Poetæ verba: qvanqvam de recutitorum infibulatione Mercurialis dissentiat, Medicis vix id persvasurus, nisi contra rationem summiqve viri Hippocratis autoritatem nitendum censuerint. Colis enim cutem non renasci, jam monstratum est. Sed nec decurtatam reduci posse, *Lib. 17.* *Var. Lect. L.1.C.6.*

con-

constat, si qvis glandem rectè æstimaverit. Medela
L.1.C.25. verò per dilatationem à Celso tradita gravior videtur tenellis, & adultis parum efficax. Summa igitur cum ratione affirmat, *id expeditiùs fieri posse in pueris, qvàm in viro: in eo cui glans parva, juxtaq; eam cutis spatiosior verò ipse coles est, qvàm in qvo contraria ea sunt.* Enimvero, si Ἀκροποσθία qvæ Hesychio τὸ ἄκρον
L.6.C.18. τῦ αἰδοίῦ, *extremum pudendi*, Celso *summa cutis*, non coalescit, qvomodo in eo tale qvid sperandum, qui gentium qvarundam more circumcisus est? cui nempe fractum jam est vinculum; ut vere Celsus fateatur, *expeditiùs id fieri posse in eo, cui id naturale.*
De Morb. Lib. 1. Imò Hippocrates ait, non coalescere τὸ ἐπὶ τῦ αἰδοίου δέρμα, cutem qvæ colem tegit, non qvæ solam glandem, qvæ vulgò Præputium; qvam tamen vocem
Loc. cit. Foesius retinuit. Qvod neqve dissimulat Celsus, dum scribit, carnem implere circulum, qvi circa
De Mens. & Ponder. pubem nudatur. Qvæ verò de Spathistere ex Epiphanio tradit Hier. Mercurialis, ea potiùs vulgari famæ videntur deberi: nisi, qvod Cornelio à Lapide qvoq; placuit, eam medendi rationem fuisse putemus, qvam scalpello factam prodit Celsus, & con-
L.6.C.53. Lib. cit. Cap. 56. firmat Paulus Ægineta; apud qvem Σμίλη, Phavorino ἰατρικὸν ἐργαλεῖον, idem est qvod aliis Σπάθη, qvam
Apolog. de mercede conduct. L.7.C.1. ipse scalpello substituit: Petrus Mosellanus apud Lucianum *Acum* reddidit. Cultellus nempe, cum qvo scalpellus à Chirurgorum novacula nihil diversus convenit; qvidqvid ad Celsum de Phlebotomo post Isidorum autoritatis non adeò magnæ Grammaticum censeat Hieronymus Rubeus. Epiphanius autem cum Theophylacto & Photio scribit [illegible]

mea-

mentum fuisse attractorium, & diabolici inventi
autorem Esau. Unde fortasſis, qvod magis receptum
eſt, Ἐπισπαςὴρ potius legendum, qvàm Spathiſter, ut
ſit Attractor, ſive inſtrumentum, qvo aliqvid attra-
bitur, ab ἐπισπάω, vèl ἐπισπάομαι. Et qvid opus fuit,
potiùs lucelli, qvàm decoris causâ, dubio eventu
curationem tentaſſe; qvæ, monente Paulo, *rarò in-* *Lib. cit.*
ter Artis opera reqviritur, tum qvòd affectus nullam *Cap. 53.*
muniis obeundis difficultatem pariat, tum qvòd neq;
tantum indecori adferat, ut hujus Chirurgiæ tormentum
ſubire qvis ſuſtineat. Qvæ tamen ſi fortasſis omnino
peracta; fraudemne inviſæ gentis in maximo dela-
torum numero diu latuiſſe exiſtimabimus, ut diſ-
ſimulata origo graviori pœnâ non fuerit compreſſa?
Nec aliud in hanc rem ex Joſepho, qvàm Judæos,
impetrato Hieroſolymis apud Antiochum à Mena- *Antiqv.*
lao & filiis Tobiæ Gymnaſio, circumciſionem ſuam *L. 12. C. 6.*
occultaſſe, ut Græcis in denudatione non apparerent
ſimiles. Simulationem tamen in pœnam abiiſſe te-
ſtatur Sacra Hiſtoria. Qvid verò inde conficitur, *1 Mach. 1.*
qvòd præcipiat Gentium Doctor: *Circumciſus aliqvis* *Cor. 1. c. 7.*
eſt, præputium non adducat? μὴ ἐπισπάσθω, non attra- *v. 18.*
bat ferro præputium, vel qvod eruditis placet poſt
Epiphanium, *ne attrahatur ipſi præputium.* Inter *Loc. cit.*
pretum utiqve potior pars ſenſum putat myſticum
& ſymbolicum, non literalem, ut D. Hieronymus *Cap. 53.*
in Iſaiam Lyranus etiam ad iſta Apoſtoli verba ad-
dit: *non ſeqvatur ritum Gentilium, qui ſemper fuit*
illicitus; pariterqve ad Machab. 1. Cap. 1. v 12. fece-
runt ſibi præputia; *dimittendo filios ſuos incircumciſos.*
Qvod noſtris itidem Rabbinis à me ſtudiosè hac

de re consultis probari video, qvi nullam in Antiochi gestis apud Josephum vel majores suos talis artificii memoriam deprehendunt. Imò, de Antiocho
Antiqv. Jud. L. 12. Cap. 6. scribit Josephus: *præcepit, ne qvis circumcideretur, aut filii eorum.* Est qvidem fateor משוך *Maschuch*, hoc est *Attractus*, seu *preputium attractum habens*, in utroqve Talmud Babylonico & Hierosolymitano, qvi vel arte sibi præputium restituit, vel cui singulari naturæ beneficio id recrevit. Hujus tamen artificii nulla apud veteres Rabbinos alia ratio invenitur præter eam, qvam R. Salomon ad Josuæ Cap. 7. per jugem pelliculæ attractionem credit. Qvæ non adeò certa, ut perpetuis naturæ ceteroqvin providæ legibus autoritatem derogare, aut virtutis insitæ fidem conciliare valeant. Sit, ætate adhuc teneriori cutem aliqvando produci. Celsi tamen & Medicorum decretis, aut lepidissimi Poetæ salibus, nihil inde adversum cogitur. Qvibus autem in glande cutis deest, Recutitos dici notum est, qvandoqvidem ipsa nunqvam integra vel sponte vel arte renascitur. Sed longiorem qvoqve pellem postulat Infibulatio apud Celsum, qvàm iterata circumcisio, cujus paucissima exempla veteres memorarunt. Propius igitur fidei est, idem hoc nomen
Serm. L. 1. Sat. 5. velle, qvod uti putat Acron & Porphyrio; itemqve Catullo *Verpus*, Aristophani ψωλὸς. Virilitatis præterea imminutionem parum securè celatam ostendit Svetonius, qvi narrat se adolescentulum interfuisse,
Domitian. Cap. 12. qvum à Procuratore freqventissimo concilio inspiceretur nonagenarius senex, an circumsectus esset.

esset. Qvid igitur est? Poeta totum verbo dixit: *Verpus erat.* Qvod ipsius sanè indignum fuisset salibus, nisi excussâ per corporis agitationem Semicinctii fibulâ virilia Judæo mutila apparuissent. Ex his palam est, qvàm ineptum Calendri apud Geographum Regium Nicol. Nicolaum in Itinerario Turcico simulacrum, trajecto per glandem anulo: qvod non levi errore pleriqve pictorum imitantur. Hi tamen jure excusandi, qvòd isti rariùs in conspectum dentur. Testis Leonclavius: *Cuti penis perforatæ ferreus vel æreus anulus inseritur, ne coire, vel si maximopere cupiant, possint. Atq; hoc* (ultimum) *in uno tantùm Calendro vidisse nos recordor.* Anulum etiam argenteum satis crassum Nicolaus in Hodœporico observavit. Rationi autem convenientior est Celsi Infibulatio, qvàm Hollerii, apud qvem præputium assuitur & infibulatur, modo fortassis Æthiopum qvorundam consvetudini non multum dissimili, à qvibus magnâ parte puellularum naturalia filo consuuntur, relictâ solùm naturæ rimulâ excretioni aptâ, donec nubiles viro tradantur: ubi partes veluti ab ortu glutinatas nonnunqvam ferro diduci ex incolarum relatione prodit Odoardus Barbosa, penes qvem fides esto. Hanc tamen confirmat Joannes Hugo Linscotus de Pegu incolis: *Puellis infantibus qvidam pudenda filo consuunt, ad usum naturæ duntaxat relicto exiguo foramine. Ita sponsus membrum resecari suo arbitrio curat, ungvento sive oleo ad medelam vulneri infuso. Ipse in urbe Goa ex mulieribus unam spectavi, qvam Archiepiscopi chirurgus ita complexus maritali aptam reddiderat.* Singularis hîc Vidus

In Pandect.

Institut. Chirurg. L.6.C.10. Rhamus. Navig. In. Occid. To.1.

Itiner. Cap.17.

Chirurg. L. 4. C. 1. Vidius, de re Chirurgica benè meritus, filo argenteo vel aureo præputium infibulari ſcribit. Ferreo etiam aliove, pro fortunæ modulo, affabrè contorto, atqve in Scorpii ſpeciem ad inceſſus facilitatem reflexo, in ſervitio genitas virgines Æthiopicas vulgo cuſtodiri, fidem mihi fecit Vir Clarisſimus Joan. Veslingius Eqves, qvi poſtqvam Illuſtrisſimis Coſſ. Venetis Aloyſio Cornelio & Joanni Donato in magna Memphi qvinqvennium à valetudine fuerat, nunc in celeberrimo Athenæo Patavino magna cum laude Anatomicam & Chirurgicam Profesſionem exornat. *Rhamus. L. d.* In Promontorio Sagres memorat Aloyſius Muſtus Venetus, Regis ac procerum feminis ad majeſtatem perforatis pudendi labris anulos imponi aureos, qvos ad arbitrium eximere liceat. Idem filo qvodam non obnoxio corruptioni per acum bis terve trajecto fieri, apud Orientales didicit Petrus de Valle patricius civis Romanus ob diuturnam inibi moram variâ rerum notitiâ inſtructus: qvi naturam filo etiam ſerico vel xylino conſutam notavit, ſummaqve veneratione id cuſtodiæ genus haberi. Incorruptum hoc filum non infimi qvidam ingenii Asbeſtinum putârunt. Alii cogitent. Ego in re obſcura nihil temerè affirmaverim, *L. 5. C. 123.* non ignarus longè diverſam eſſe repugnantiæ vim ad ignem atqve ad humoris alluviem. Illi certè populis non fuiſſe ignotum ſvadent, qvæ And. Lacuna ex veteri Codice Dioſcoridi adjecit; ἐγχρώζόμεναι αἱ Ἀιθιοπίδες. *Nat. Hiſt. L. 19. C. 1.* Qvid verò conjecturæ obſtat, modò vera qvæ de Lino Asbeſtino narrat Plin. & *Geogr. L. 10.* de Lapide Caryſtio Strabo, deqve Lino Carpaſio *Attic. L. 1.* Pauſanias, qvod veriùs lapis eſt foſſititius. Famam

hanc ab Hebræis qvoq; receptam, Joannis Buxtorfii lingvarum Orientalium atqve in primis Sanctæ peritiſſimi Doctoris indicio, confirmat antiqvisſimus liber Medraſch Tehillim ad Pſalm. 23. & Medraſch rabba Schir Haſchirim ad Cantic. 4. 11. ubi veſtes Israëlitarum in deſerto per qvadraginta annos putantur duraſſe, qvòd igneis gloriæ nubibus mundatæ fuerint. Qvorum fides ſi cuiqvam de fabuloſa vetuſtate ſuſpectior videbitur, audiatur ſaltem qvi proximo ſeculo floruit Franciſcus Ruens de Aureo Vellere: *Fama eſt, Carolum Cæſarem ſemper Auguſtum habuiſſe mantilia, qvæ in ignem conjecta à ſordibus ibidem purgata, illæſa eximerentur. Verum, hæc è Salamandræ pennis aut lanugine, qvum utrisq; careat, minimè contexuerunt: ſed è lapide Amianto dicto, qvem nere, texere, ac inde mantilia conficere nôrunt Veneti; qvæ ſordida in flammam ignis conjecta non ſecùs emaculantur, qvàm ſi ſmegmate manibus elueris.* Tale qvidpiam clarius memorat M. Paulus Venetus: Eſt in hac provincia (Chinchintadas) mons in qvo inveniuntur mineræ chalybis & audanici, itemq; Salamandræ, de qvibus fit pannus, qvi ſi in ignem projectus fuerit, non comburi poteſt. Fit autem pannus ille de terra in hunc modum, ut qvidam è ſociis meis vir ſingulari præditus induſtria, Curcifar nomine, Turchus me edocuit, qvi in provincia illa mineralium operi præfuit. Invenitur in monte illo minera qvædam terræ, qvæ fila producit lanæ haud diſſimilia: & hæc ad ſolem deſiccata in mortario æneo teruntur, deinde lavantur, & qvicqvid terraneum illis adhæret, ſubmovetur: demum fila illa ſic pur-

Tract. 2. Cap. 1.

Itinerar. L. 1. C. 47.

gata & attenuata, ut alia lana nentur, atq; in pannum contexuntur. Et qvando pannos illos volunt dealbare, projiciunt eos ad horam in ignem, & tunc ex flammis illæsi educuntur nive candidores. Haud secus purgant eos, qvando maculas aliqvas contraxerint: nam lotura alia præter ignem illis non adhibetur. De salamandra vero serpente, qvi in igne vivere dicitur, nihil explorare potui in orientalibus regionibus. Ajunt Romæ mappam qvandam haberi ex salamandra contextam, in qva sudarium Domini involutum retinetur, qvam rex qvidam Tartarorum Romano misit Pontifici. Hujusq; Marcus Paulus. Hunc verò ne frigidiusculo rumore falsum putemus, en testes oculatos. Ludovicus Vives, si quisquam alius, scriptor sincerissimus erudito ad D. Augustinum de Civit. Dei Commentario se Parisiis

L. 21. C. 6. cum Petro Garsia condiscipulo ellychnia hujus generis permulta vidisse testatur; & in Belgio mantile medio convivio igni datum, redditumqve domino mundius splendentiusqve qvam posset aqvis & smegmatis qvibuslibet. Tale suâ ætate in Saxonia & Bohemia visum, ejusdemq; generis Romæ mappam fuisse, memorat probatæ fidei Agricola. Idem qvoq; apud comitem Megensem Frisiæ præfectum contigisse fidis autoribus tradit Joannes Fuggerus. Talia qvoqve mantilia Carolo V. Cæsari maximo à Magno Tartaro missa narrat Joannes Bravus. Tametsi verò id artificii hodiè apud Venetos amissum, alibi tamen etiam viguisse mihi persvadet maximè, qvod se aliqvando in aula Serenissimi Ducis Sabaudiæ vidisse retulit bonæ memoriæ Bartholomæus

De Nat. Fossil. L. 5. P. 253. & 259

Etymol. triling. P. 91.

De Hydroph. fol. 79.

mæus Soverus Friburgensis, omnis doctrinæ in Gymnasio Patavino Mathematum Professor celeberrimus; qvemadmodum mihi citra gratiæ suspicionem testis erit integerrimæ fidei vir nobilis Gulielmus Sohierus, multiplici lingvarum notitiâ, varioqve ex diuturnis peregrinationibus rerum usu, conspicuus. Nimirum mantilia inde contexta freqventi Principum ac Magnatum consessu in ignem projecta non arsisse. Gallo cuidam ea pariter observata, textura subtili ac densâ, serici in modum candida, nuper monuit Româ Clarifs. Allatius; qvi addidit, præsente Lælio Bisciâ Neapoli qvondam in Musæo Ferrandi Imperati Botanici celeberrimi, solâ Amianti scalpturâ sine operositate satis tenue ac molle inde ductum fuisse filum. Anno etiam seculari Asbeston inter alia pretiosa inibi conspeximus.

Ceterum, diversitate notabilis est apud Strabonem Infibulationis modus, qvem ille de qvorundam Æthiopum mulieribus verba faciens ita protulit: ὁπλίζουσι δὲ τὰς γυναῖκας, ὧν αἱ πλείους κεκείρκωνται τὸ χεῖλος τοῦ στόματος χαλκῷ κρίκῳ. *Armant etiam mulieres, qvarum pleraq; oris labium æneo circulo trajectum habent.* Ita Casaubonus transtulit. Cœl. Rhodiginus Julii Scaligeri Philosophi subtilissimi magister κερκοῦσθαι non ineptè vertit *Infibulari.* Nec aliud forsan intellexit Strabo: ubi de Indis: ἤλοις τὰ χείλη διαπείρεσθαι, qvod Xylander transtulit, *labia clavis perforari.* Eam consvetudinem hodiè ad nares ibidem traductam narrat πολύτροπος noster Veslingius: qvod in Bulgaria etiam Salomon Schueigerus observavit. Insertâ Jaspide ærizusâ sive ærinâ, qvam communiter Tur-

Geograph. Lib. 17.

Antiq. Lect. L. 8. c. 13.

Lib. 5.

Itin. Turc. L. 1. c. 12.

Rhamus. Turcheſiam nominamus, de Indis vultu pictis idem
Navig. To. 3. affirmat Marcus Nizanus. Odoardus Barboſa di-
Id. To. 1. ſtinctiùs in regno Narſinga mulierum naſo inauri
more unionem, vel pyropum perforatum, aut cy-
Itiner. num pendere ſcribit, narium alteri grandem annu-
Orient. lum gemmis fulgentem in Oriente paſſim Petrus
p. 751. de Valle. Viris inter Braſiliæ incolas hoc etiam in
labro inferiori ab adoleſcentia perforato uſitatum,
Novi Orb. è magno Purchaſii Itinerario refert Jo. Laetius,
deſcr. L. 12. pariterqve de lapide, ex Dammanni mente, nephri-
C. 16. & 20. tico Anſelmus Boetius de Boodt; mulieribus neuti-
De Gem. qvam, qvibus magis volupe foratis auribus ligneos
L. 2. C. 110. globulos ſuſpendiſſe. Vidit & Petrus Martyr
Regi Xaguaræ aliisqve principibus ſuſpenſam naſo
lamellam auream, qvæ ad ornatum labia tegebat.
To. 1. Aloyſius Muſtus ſimiliter in Promontorio Sagres
narium utriqve ſexui interfinium anulo aureo tra-
jectum, qvi cibum ſumpturis demebatur. Vetu-
ſtiſſimam hanc fuiſſe rationem conſtat ex ſacris lite-
Prov. C. 12. ris, ubi *Circulus aureus in naribus ejus mulier pulchra.*
Anulus hic Hebræis eſt נזם *Neſem.* Qvod ſanctæ
lingvæ peritia incomparabilis vir Joannes Buxtorfius
à זמם *Sam*, id eſt *frænare* deduci poſſe opinatur longè
religioſius, qvam qvi à זנה *Sanah*, qvod eſt *ſcortari*,
qvaſi liceret ejusmodi frontis auriumve monili fa-
cere lenocinium. Symmacho interpreti Græcis eſt
ἐπιῤῥίνιον, & ἐπιῤῥινίοις *ornamentum naſi.* Qvod omnes
præter hunc ipſum, deficiente commodiori voca-
bulo, abuſivè *Inaurem* vocarunt, monente D. Hiero-
nymo ad Ezechiel. 16. cujus etiam tempore circuli
aurei

aurei ex fronte in os pendentes naribus imminebant. D. Augustinus pariter Qvæstionibus in Genesin: *Mos Maurorum est, ut inaures etiam in naribus habeant feminæ.* Sic Hebræi in suis versionibus Germanicis Judic. 8. & Prov. 25. magis ad rem fortassis *Nasband* appellarunt, qvam reliqvi *Stirnband.* Qva etiam ratione Talmud Hierosolymitanum, *Tract. de Sabbatho Cap. 6.* *Nesem* exponit, *aliqvid qvod ponitur supra nasum.* Etsi vero Rabbi Abraham Aben Esra Hispanus ad Gen. 24. 22. autor etiam libri qvi dicitur Chaskuni ad eundem locum, existimet naribus & auribus convenire: naribus tamen propriè, siqvidem hæc ornamenti genera distincte recensentur. Romanorum verò Infibulationem, cessantibus cum superstitione veterum spectaculis, & mancipiis, demum sublatam credibile est.

CAP. VII.

FIBULÆ CHIRURGICÆ ratio communis.

Superest qvæ glutinandis plagis manum postulat Fibula, constringendo nempe sive uniendo ulceris labia, ut est apud Galenum; præcipuè, ubi inæqvalis ipsorum situs, secus qvàm in ampla & propè plana superficie. Hujus insignis hodiè obscuritas, qvòd ex iis forsitan sit, qvæ à veteribus rectè tradita atqve administrata, posteriorum inertiâ in desvetudinem venêre, qvæqve prorsùs deperdita, ut in Chirurg. Curtor. censet Tagliacotius; seu *De Comp. Med. sec. Loc. Lib. 2. Cap 1. & Met. Med. L 3. C. 4. L. 1. C. 16.*

 potiùs,

potiùs, qvemadmodum post doctiss. Eustachium Rudium suspicatur Cl. Daniel Sennertus scriptor candidissimus, ob neglectam plerumqve ab antiqvis Materiæ ac Formæ descriptionem, qvum modus uniendi per Fibulas esset notissimus. Qvod neqve ceteris utensilibus novum, qvorũ vulgaris erat usus. Hoc modo Svetonius Chlamydem, Fibulam, Bullas item aureas, Tiberio in Sicilia à Pompeja donatas Bajis durasse memorat: nec de earum ratione qvidqvam addit. Atq; his qvidem rationibus, qvoniam duæ apud Varronem sunt Vocabulorum naturæ, Etymologia, & Analogia; qvarum utraqve, in primis verò Analogia, Fabio autore, acris judicii ope sermoni rationem præstat; non injuriâ variis hæc Fibula insignitur appellationibus. C. Celso Latinorum antesignano Fibulæ nomen ubiqve placuit, Scribonio etiam Largo, ejusdem ævi: qvod Latinus Galeni interpres semper retinuit. Qvi Artem Medicam ipsius explanârunt variè mutant. Vallesius vir subtilissimus *Vinculum* dixit; qvaliter D. Hieronymus adversus Vigilantium: *qvasi vinculis Hippocratis volui ligare furiosum;* Item: *Hippocratis volui vinculis alligandum.* Eademqve significatione post Palladium de re Rust. L.3.T.13. cum Turisano Monacho Argenterius Philosophus & Medicus acutissimus *Ligaturam*; qvam Scrib. Largus alia notione nominavit *Alligaturam*, vocabulo Columellæ communi; Hieron. Triverius *Colligationem*, Petrus Joannes Nunnesius *obligationem qvæ fit in plaga*; qvæ Phrynichio *κατάδεσμος* ac ἐπιδέσμιον. non ἐπιδέσμιος: Tacitus optimè *Ligamentum.* Græcis etiam, Celsi indicio,

'Αγκτῆρ

De Vulner. L.1.C.17. Institut. Med. Lib.5. Par.1. Sect.2. Cap.16.
Tib. Cap.6.
De Lingv. Lat. Lib.4.
Instit. Orat L.1.C.5
Comp.206.
L.3. Epist.
Comp.209.
Lib. de Arbor. Cap 8.
Not. Phryn. Ecl. dict. Attic.
Ann. L.15.

Ἀγκτὴρ vocata fuit: qvod nomen itidem Galeno usurpatum, *Fibula* Jano Cornario valet. Talis propriè videtur, qvæ vinculi specie constringit & continet; ut Phavorino rectè: Ἀγκτὴρ, δεσμὸς; Ἄγκω enim constringo; unde Glossarium vetus MS. bibliothecæ Vaticanæ, *Angino, Strangulo*; melius procul dubio *Ango*, qvamvis & aliud gloss. MS. ibidem *Angire, anxiare; item suffocare.* Qvemadmodum Περόνη, ea qvæ oblongioris formæ ac teres clavi instar foret. De qva nobilis Homeri interpres Eustathius: ὁ περόνη καὶ τὸ περονᾶν καὶ ὁ πόρπαξ καὶ τὸ πόρπημα, καὶ ὅσα τοιαῦτα. Chirurgorum autem fibula qvævis, præter eam qvæ labiorum fissuræ convenit, veriùs Ἀγκτὴρ, qvàm Περόνη, deprehenditur. Cave tamen, ut Cornarius, Ἀγκτῆρας aut Δεσμὸς Hamulos putes. Etsi verò materiam ejus, ût omnibus notam, prætermiserint veteres, non secus ac Dioscorides Lactucæ descriptionem, & Coriandri, pariterqve Rubi, qvia notitiæ vulgaris. Ea tamen vel hac ipsa de causa insignem eruditis litem movit. Hinc non iniqva, licet vix erudito viro digna, Fabii Pacii de Fibula qverimonia: *Fibulæ tanta est difficultas, ut animus obscurâ veterum traditione & variâ Recentiorum expositione perculsus ac veluti infibulatus diu hæserit, necdum satis in sua ipsius cogitatione & inventione reqviescat.* Enimvero *qvi primi sermonem invenêre agresti animo mortales, ut qvæq; sese dabant, ita excepere. Sapientia verò vix tandem serò cælitùs demissa est. Vel ad hanc usq; diem qvanta latitavere? qvot adhuc latent, qva posteritas eruet adjuta?* Pleriqve eam credidere Filum, sive ut propriùs dicam Linum: qvod solertis

In Gal. de comp. med. S. L. Lib. 2. Cap. 1. L. 5. C. 26. Art. C. ad Glauc. L. 2. Cap. 8. L. d.

Οδ. γ.

L. 3. C. 71. L. 4. C. 37.

Com. Gal. Meth. Me. L. 3. C. 4.

Jul. Scal. de Caus. Lingv. Lat. L. 5. C. 110.

ingenii Medicum Hispalensem Franciscum Figueroam ex sententia Franc. Riojæ publico Syntagmate ratum fecisse perspexi operâ Viri Clarissimi Francisci Bernardini Ferrarii, qvi pro eximia humanitate sua postremam Figueroæ disputationem ex Hispaniis curavit. Gignentia qvoq; sive Stirpes hujus observantur censūs. Apsyrtus enim Joanne Ruellio interprete de Armorum luxatione ait: *Fibulæ myrica factæ adversis ordinibus trajiciendæ.* Alphonsus Nunnez contrà magnæ autoritatis vir, Regis Catholici Archiater peritissimus, Metallum putat. Cujus opinionem viri qvidam literatissimi suoqve arbitrio diserti, Fibulæ Materiam, Formam, Usumqve diligenter excutientes, nec argumentis infirmiores, nec minori exemplorum copiâ, ingeniosè propugnârunt. Aliis sententiæ dubiis tutius visum fuit mediam seqvi: qvales Medici olim Hebræorum. Cuinam factioni adhærendum ostendet Ratio, qvam formavit usus magister optimus, cujus unico hîc standum arbitrio. Is verò à bonorum Scriptorum fide per ætates repetendus, qvos communem secutos Mercurium in testimonia citare jubet causæ gravitas. Mirum qvidem, hujus ne nomine tenus meminisse Hippocratem Professionis Medicæ conditorem, qvam tamen Cornel. Celsus interpres ejus & sectator oculatissimus non adeò negligenter descripsit alicubi, qvin capi possit, ut infrà dicetur: qvanqvam is de usu magis solicitus, qvàm de ipsius ratione, præcipuè ostendere conatur, qvale vulnus Suturam, qvale Fibulam postulet; qvem primus inter Græcos Galenus pari studio imitatus videtur. Credibile autem

Med. Veter. L. 1. C. 25.

L. 5. C. 26.

Meth. Me. L. 3. C. post.

tem

tem est, sapientissimum Senem cavere voluisse, ne discentes nominum varietate turbarentur, qvum à Sutura, qvam Intercisam dicimus, Fibula re qvidem verâ nihil differret. Qvi enim Scriptor sedulus alioqvi rem præteriisset, cujus usus ratioqve per tot secula sese ad nos extendit, etiamsi nomen ubiq; non hæsit, qvum ei fortassis repugnatum esset. Intereà silentio minimè involvendum, posse dubitari num apud Celsum hoc loco *Abalienatum* satis aptè à nonnullis *diductum* explicetur. Separationem namq; eam intelligit Scriptor purissimus, in qva ampliùs Suturæ aut Fibulæ non sit locus: ut nihil dicam, *Alienum* non malè derivari ab *Alio*. Hinc prudenter Tagliacotius: *non minimũ interest, numqvid, qvæ partes consuendæ sunt, aliqvo in loco connectantur, an sede penitus & regione dissideant.* Et benè, licet parum venustè, Bertapalia: *si pars non fuerit totaliter ablata, ejus curatio est cum Ductura, aut Sutura.* Unio enim non foret difficilis, si duntaxat esset Diductum, nempe, aliâ parte dependens aliâ inhærens, parte etiamnum integrâ, & qvæ conjunctione corporis fovetur, ut est apud Celsum; qvi hac etiam voce simplicem incisionem scalpello factam significat. Qvâ ratione apud Galenum διηρημένα exposuit Linacer, *qvæ diducta sunt;* Scribonius Largus *Partem Divisam* appellavit. *Alienatum* itaqve Alteratione (ut cum Scholis loqvar) Corruptivâ potiùs intelligendum; indicat alibi Celsus de Intestinorum vulnere: *Momento*, ait, *alienantur externo & insveto spiritu circumdata.* Idqve dignosci monet, *si non adhuc sui coloris sint, sed in lividum, aut pallidum, aut nigrum mutata, & sensu careant;*

Chirurg. Curt. L. 2. C. 12.

In 4. F. Avicen. Tr. 2. C. 3.

L. 5. C. 26.

L. 7. C. 7.

Meth. Me. L. 3. C. 4.

Com. 206.

L. 7. C. 16.

L.5.C.26. *reant; ubi medicina omnis inanis.* Qvas idem Gangrænæ notas in Ulceribus tradidit. Eodem dicendi modo Scribonius Largus Medicus Romanus de
Comp.227. Hæmorrhoidibus verba faciens, qvod vi erodentis Medicamenti separatum est, *abalienatum* dixit; &
Comp.201. *alienum*, qvod in osse *putre vetustate vitii factum est.*
De Medic. Marcellus item Burdegalensis *ulcera abalienata in ve-*
Cap. 11. *tetris.* Sed noster qvoqve de Fasciis verba faciens,
Cels. L. 8. *id qvod adstrictum est*, inqvit, *alienatur, & cancro op-*
Cap. 16. *portunum est.* Ubi Rob Constantinus planè ad Au-
L. de Artic. toris mentem cum Magno Sene *Alienatur* reddit:
L.4.C.19. ἀλλοιοῦται καὶ σφακελίζεται, qvod Æginetæ est νεκροῦται,
L.2.C.1. & 7. Celso *nigrescere*; qvi etiam reddidit Hippocratis πε-
L.5.C.20. λιδνοὺς, *nigritiem in ulceribus*; item, *in auribus, nari-*
L.6.C.18. *bus, obscœnis partibus*, in cole: propriùs ad vim Græci
L.8.C.2. & 3. sermonis forsan, qvàm recentiores, qvi *Livores* dixerunt. Hinc Rod. Gvaltherus apud Julium Pollucem
L.4.c.24. τῶν μελῶν τὸ νενεκρωμένον, μελαινόμενον, benè interpreta-
L.5. Aph. 17.& 20. tus, *membrum emortuum, nigrescens.* Nicolaus Leonicenus tamen *Nigrores* convertit, & Hieronymus Mercurialis *Nigrefactiones*, itemqve *Denigrationes.*
Chron. Qvod neqve Aurelianus ignoravit, qvi notat à Græ-
L.1. C.4. cis *Necroses* vocari, qvum partes emoriuntur. An-
De abdit. tonius Benivenius itaqve Gangrænam rectè ulcus
morb. caus. nigrum appellat. Cancrum verò in vetustioribus
Cap.71. Glossis se hoc significatu deprehendisse Mercurialis
Var. Lect. prodit; cui præter Fallopium assentitur in Appen-
L.3.c.18. dice Locorum Communium Valleriola. Atqve in
L.5.c.26. hanc sententiam accipiendus Autor noster, qvando de Curat. adversus Vulnerum Inflammationem monet Musculum læsum esse præcidendum. *Percussat*

enim,

enim, ait idem, *mortiferus est: præcisus sanitatem recipit.* Ubi enim *solent nihil omnia auxilia proficere, miserum, sed unicum, auxilium est, ut cetera pars corporis tuta sit, membrum qvod paulatim emoritur, abscindere,* & Galeni consilio ad vivum usqve recidere. Secus, ut verè Ennodius, *qvi in putridis membris non utitur ferri medicinâ, serpentibus morbis præstat obseqvia. Nam nisi secentur tabefacta contaminant.* Itaqve *remedii causâ qvibusdam amputantur membra, qvæ sine totius pernicie corporis hærere non poterunt.* Qvod sanè consilium ut optimum, ita venustè ad morum medelam traduxit sapiens Poëta:

Ibid. §. de Cur. Gangr. Art. Cur. ad Glauc. L. 2. c. 9. Orat. 15. Sen. de Provident. cap. 3.

— — *immedicabile vulnus*
Ense rescindendum est, ne pars sincera trahatur.

Ovid. Met. 1.

Sed hæc tanqvam in transcursu. Mirari magis subit, Galenum Hippocraticæ doctrinæ vindicem unicum, neqve à Celsi ætate adeò remotum, ita hîc parcum, ut non pari diligentiâ ejus rationem literis consignârit, qvâ Suturæ, aut saltem ipsam à Celsi æqvævis non transcripserit, qvod passim in Pharmaceuticis observatum; nisi propter usum promiscuum id operæ superfluum censuerit. Si qvid tamen hic dicendum, crediderim cum aliis operationibus Chirurgicis inde usqve ad nostra tempora hanc qvoqve continuo usu servatam; nec novum forsan esse Glutinationis adjumentum. Unde & Galeni Interpretes hìc vel nulli, vel admodum parci, aut Celso non satis intellecto ambigentes. Inter hos Italiæ Scholis à multis annis peculiariter commendatus Jacobus Forliviensis, clarissimus sui temporis Medicus,

cus, in Commentario Artis Med. Cap. 90. secundùm Thomam à Vega; vel Lib. 3. T. 47. seu T. 109. apud vetustiores interpretes, qvid Galeno Fibula, prorsùs siluit. Nec mirum, siqvidem Interpretis Anonymi versio antiqvissima hanc vocem non habet: non qvidem qvòd in Græco non exstiterit, sed qvòd in ea Latini sermonis inopia, & Græci ignoratione vox Latina par Græcæ non occurreret. Neqve huic absimilis Turisani Monachi interpretatio, qvæ sic habet: *Ut verò ea* (Adductio) *fiat permanens, Superligatio conducens distantia, & Consuturæ utiles sunt.* Hinc fortassis suâ translatione eruditissimus Vallesius Galenum ita differentem introducit: *ut autem ipsa firma fiat alligatio adducens ea qvæ distant, & Vincula & Suturæ prosunt.* Etsi verò bina tantùm videntur tangi præsidia, veluti Alligaturæ adminicula: qvia tamen Fibula etiam unioni confert, plenior mihi cum Doctoribus Italis Galeno addictissimis ubiqve retinenda videtur hæc Leoniceni interpretatio: *Ut autem hæc ipsa* (partium applicatio) *firma ac stabilis fiat, & Alligatio cogens in unum qvæ distant, & Fibulæ, & Suturæ utiles sunt.* Qvam etiam sententiam in Commentariis expressit Vallesius, eo solùm à reliqvis diversus, qvòd Fibulæ loco Vinculum maluerit, cæterisqve junxerit Cataplasma agglutinans. Communi huic expositioni favet Galenus ipse Ligaturam expressè à Sutura, & Fibula secernens, qvando inqvit: *Vulnera per longitudinem Musculorum facta si à duplici initio deliges, nec Suturis, nec Fibulis egebis.* Qvòd verò idem Deligaturam, & Suturam duntaxat videatur enumerasse, id non

Meth. Me. Lib. 3. c. ult.
Lib. 4. c. 3.

non ſine Hippocratis exemplo factum, vel ob infreqventiorem Fibulæ uſum, vel certè qvòd eam Ligaturæ nomine fuerit complexus, veluti medium duobus extremis auxilium: qvod Fabio Pacio placuiſſe video. Qvid ſi verò cum Valleſio Ligaturæ nomine acceperis Vinculum, qvod cum Fibula parum disſidet? Ea fermè videtur Turiſani mens, qvi in Artem Medicam Galeni Celſo conſentiens ait Ligaturam & Suturam debere fieri, qvando vulnus ſimplex in carne, ſed qvando nihil ex ſubſtantia membri deperditum. Silentii veniam meretur Hugo Senenſis, qvi non ultrà L.3. Cap. 91. ex veteri diſtinctione in Comm. Artis Med. Gal. progreſſus; pariter Joannes Manardus: Ingrasſias etiam, qvi ſubſtitit in Lib. 2. T. 100. & cum eo Math. Curtius, qvi more laudabili, ad ingeniorum varietatem in Gymnaſiis Italiæ recepto, dum omnia plenius dicere conatur, ultra Signorum doctrinam nihil movit præ temporis anguſtia, ut patet ex ipſius Commentariis, magnâ inſignis Philoſophi Gaſparis Gabriellii curâ olim exſcriptis, qvæ apud nepotem Marcum Antonium Gabriellium Patricium Patavinum D. Marci Eqvitem cum aliis ſervantur: de qvibus in Bibliothecis Patavinis Codicum MSS. uberiùs Jacobus Philippus Thomaſinus Æmoniæ Præſul, pio labore laudandus in primis qvòd condendæ Hiſtoriæ patriæ videatur omnem operam deputaſſe. Thaddæus autem Florentinus, & Antonius Cittadinus meris Qvæſtionibus cogitationes occupârunt. Inter Medicos rudioris ævi Nicolaus Florentinus, majoris experientiæ qvàm cultus, ſcribit vulneri in Lacerti lon-

Sermon. 7. *Tr.* 4. *Sum.* 1. C. 48.

longitudine facto, si Ligamentum incipiat ab utroq; capite, non apponi Anactiron: qvod ipse interpretatur pannum triplicatum reductum in modum plumaceoli. Ἀγκτῆρα fortassis dixisset, nisi flexu Latino ignotam sibi istius seculi vitio Græcam dictionem ex Galeno vitiare maluisset, qvàm gravissimi Autoris sententiam mutilare, cui hìc pressè adhæsit. Akakias simplex Galeni Paraphrastes vim vocis non attigit penitùs. Crato etiam, felicissimus trium Imperatorum Medicus, Artis Med. Gal breviarium pertexens de suo nihil addidit. Cujus collega Julius Alexandrinus, in aliis sat prolixus, hic etiam tacet. Alphonsus Lopez item, exqvisitâ doctrinæ brevitate interpretum nemine inferior. Nec Hieronymus Rubeus, postremus qvi ad nos pervenit Celsi commentator, interdum satis diffusus, hìc qvidem verbum. Sed neqve ex sua mente qvidqvam de Fibula Cæsar Magatus de rara Vulnerum de-
L. 1. C. 59. ligatione. Verùm ex aliena sententia Suturam describit. Qvam, Siccam Chirurgis appellatam, veterum Fibulæ successisse docet Lud. Mercatus. Neq; ab his longè abest Vid. Vidius, dum præcisè dicit, Fibulam Vulnerariam fieri per acum ducentem filum sericum, aut ex lino. Cui subscribit Peccetius, qvando Acum & Filum ponit Suturæ ac Fibulæ instrumenta. Imò nulla Fibulæ apud nostri temporis homines mentio est, nisi ad Celsi imitationem; qvem pleriqve parum feliciter assecuti, qvòd ipsum negligentiùs inspexerint, vel ex sua sententia sint interpretati: idq; tantâ varietate, ut vix sibi constent viri etiam maximi. Qvid enim incogitan-

Institut. Chirurg. L. 1. Tr. 2.

Institut. 2. Chirurg. L. 4. Cap. 1.

Chirurg. L. 2. C. 10

gitantius, pace tanti viri, hisce Argenterii verbis in Artem Galeni? *Fibularum & Antiqviores & Recentiores Medici mentionem faciunt: sed nullus, qvod meminerim, docet illarum compositionem, nec utendi modum: nec hactenus aliqvem Chirurgum vidi, qvi Fibulis uteretur, qvod ferè Suturæ & Fasciæ feliciùs hoc opus perficere videntur. Si qvis tamen Fibulis uti velit, poterit id commodè facere ad imitationem Fibularum, qvibus utimur ad Zonas ex corio confectas; qvomodo etiam eqvos duplici fibulâ ventri eorum circumductâ constringimus. Sed hæc faciliùs fieri possunt, qvàm verbis exprimi. Nam Antiqvorum instrumenta ideò ignoramus, qvia usus illorum periit, ac conseqvi non possumus, qvod verbis ab illis fuit expressum.* Nec satis exqvisitè ad sui ingenii acumen Thomas à Vega huic parum discors Galenum intelligit de Fibulis, qvarum in cincturis usus freqvens est: nisi fortasſis Analogiâ, qvam tamen scindit usus. Siqvidem qvæcunqve usus causâ ad vitam sunt assumpta, in his utilitatem qværimus, non similitudinem. Argenterium verò Oddus de Oddis ibidem, qvemadmodum & Sanctorius, non injuriâ notat; cujus sententiam ob eximium pondus non pigebit huc transferre: *De Fibulis non est multa dicamus, qvum earum usus fermè exstinctus sit, & licet hæ ab Antiqvis non describantur, non ob id tamen qvomodo his uti possumus tradere non desistunt, ut falsò Argenterius arbitratur. Erat enim nota non tantùm apud Medicos earum Forma, sed & apud qvosdam veteres, qvandoqvidem in vulneribus Fibulæ ex Acia molli non nimis torta, ut & Suturæ conficiebantur, ut Cornel. Celsus conscripsit. Siqvidem Chirurgi illi ab uno latere*

Varro de Lingv. Lat. Lib. 7.

vulneris Semicirculum qvendam ex Acia, qvem vulgò Afola, hi verò Fibulam nuncupabant; pariter & ab altero opposito alterum conformabant: deinde utrumq; Aciâ alligabant, tùm ut labia illa attracta ob vulneris latitudinem magnitudinemq; fortiùs alligarentur, tum ut sanies liberiùs percolari posset. Huic autem ad vulneris latera Semicirculo totam inter Fibulam ac Suturam discriminis rationem adsignat ingeniosissimus Sanctorius: cujus nexum uterqve suppressit. Eam tamen sine glutine fieri non potuisse persvadet ratio, qvâ innixi potiores Galeni interpretes.

Comment. Art. Med. Cap. 90. Par. 2, Tex. 47.

Cap. IIX.


HEBREORUM ex mente Arabum de Fibula Chirurgica judicium.

UNum hìc subdo, nec fortassis ἀπροσδιόνυσον, vel audacter nimis, qvod etiam ex hisce colligi potest qvæ jam retuli, Fibulæ Formam ac Materiam non eandem utiqve omnibus fuisse Chirurgis, sed pro diverso artificum conceptu variam; qvorum unusqvisqve commoditatis aut necessitatis causâ priorum inventioni aliqvid addidit vel detraxit. Nec sine gravissima Hippocratis autoritate, cujus monitum est: τὰ ὄργανα πάντα εὔεργη πρὸς τὴν χρείαν ὑπάρχειν δεῖ. *Instrumenta omnia ad usum aptè comparata esse oportet.* Argumento sint Ferulæ, qvæ vel ad jucundiorem medicationis operam, vel ad locorum ingenium materiam nactæ fuerunt diversam: ut vel hinc suspicari animus sit, non solùm desve-

De Medico.

desſvetudine, ſed ſtructurâ qvoqve, dubiam adeò nobis veterum Fibulam. Arabes verò Græcorum ingeniis nihil magis concesſiſſe eâ Medicinæ parte excolendâ qvæ manu curat, qvàm qvæ medicamentis, præter Medicos è priſca barbarie ipſorum aſſeclas, abundè teſtantur Hebræi communi cum iis in hunc diem inſtitutione uſi. Qvorum etſi non ſine cauſa in dubium vocari poſſet fides, qvum non modò divinam, ſed humanam qvoqve ſapientiam, variis interpolârint cogitatis: meliora tamen ſvadet etiam Principibus & incorruptioris judicii Archiatris, imò univerſo propemodum orbi, nota plurimorum hujus factionis, qvâ ſcribendo, qvâ medendo, ſolertia & integritas. Ex horum numero binos mihi hæc meditanti produxit eximiæ vetuſtatis codices in membranis vetuſtioribus ſcriptos, qvos eminentisſimi Principis ac Ducis de Richelieu auſpiciis eruditisſimus vir Jacobus Gaffarellus Sigonciæ apud Gallos Abbas cum aliis earum literarum plurimis ex Pici Ducis Mirandulani reliqviis Mantuæ pridem, & Budâ ex inferiore Pannonia non exiguo ære conqviſiverat. Horum verò antiqvior alter nullum præferebat nomen. *De Veterum Inſtrumentis Chirurgicis* inſcripſit Gaffarellus, Librorum MSS. Hebraicorum & Syro-Chaldæorum Indice proditurus brevi, qvis fuerit alterius voluminis Autor SCHEM TOV, qvod ipſi ſonat *Bona fama*, aliis *Bonum nomen*, appellatione cæteris gentibus Chriſti cultum profeſſis etiamnum receptâ. Cui operi niſi vetuſtas initium invidiſſet, multis haut dubiè præſens argumentum locupletaſſet. Ea tamen qvæ in Fragmentis


inventa candidè referam. In Partis Trigeſimæ Porta (id eſt, Capite) XII. ſeparatim tres Arabum more rudiores conſpiciuntur figuræ nomine Fibulæ; qvam ille vocat פיבול *Pibul*, conſvetudine ad Latinam accedente, ob Hebrææ vocis defectum. Primum verò ſchema hujus figuræ appellatur גליל הפיבול *Galil happibul*, puta, *Delineatio fibulæ*, Circulum repræſentat; qvem monet Autor fieri ex ferro, vel argento, non ex נחשת *Necboſſet*, id eſt, Ære, qvod vulneri eximiè noxium pronunciat.



Alterum, cujus vera hic exprimitur ſpecies, nominatur פתיל *Petbil*, Filum retortum ex lana, ſive lino, Gaffarelli noſtri verſione: qvam è peritioribus Hebræorum Magiſtris primi nominis Leoni Mutinenſi laudatam memini.



Poſtremum ſimpliciter dicitur Pibul מעצים שנים *Meetſim ſchenajm*, qvod ſignificat ex duobus lignis; qvæ, Autoris ad verbum præcepto, hinc inde alligantur; cavendo, ne ſuper vulnus nimium conſtringantur: qvia non poſſent ejus oræ pus emittere.



Concors ei Incertus ille vetuſtior eundem exhibet typum: cui ſeqventem addidit.



Hujus

Hujus Libri priores, qvos de Materia & Usu Fibulæ peculiariter scriptos advocat, nisi temporum injuriâ periissent, minus fortassis mentis aciem rudis penicillus obscuraret. Qvæ omnia etsi parum ad rem, non tamen præter rem. Plures eqvidem figuræ miras fateor tenebras offundunt, sed qvas dissipabit animus perspicacior, cujus operâ ex hac difficultate non penitus deplorata emergendum. Salvâ igitur aliorum sententiâ, si qvid addivinandum, diversæ non videntur hic delineari Fibulæ, qvamvis species districtæ; sed in unum coire omnes credo apparatum. Circulum nempe junctis plagæ oris rectè injectum binæ stringunt hinc inde utriusqve lateris, qvæ æqvales pinguntur, regulæ Diametrales ligneolæ, intervallo laterum in circulo eadem longitudine, iisqve superdanda sunt fila, sive, qvod magis placet, vincula duplici figurâ hîc delineata, qvæ uncis alteri sui extremitati ad caput, ut videtur, ansatæ innexa, non aliter qvàm in fonticulis hodiè, Fibulam optimè continebunt: & qvidem tutiùs ac jucundiùs, qvàm circulus ille Hieronymi à Ponte Chirurgi Vicentini certis rationibus eruditissimo Pacio in suis ad Galenum Commentariis parum probatus. *Meth. Med. L. 3. C. 4.* Zonulæ sanè hujusmodi tantum tribuit instrumentorum inventione felix admodum Hieron. ab Aqvapendente, ut sententiâ non multum ab Argenterio diversâ hanc aliqvando veterum Fibulam fuerit opinatus, qvemadmodum summi ingenii judiciiqve Vir Clarissimus Joannes Dominicus Sala in Gymnasio Patavino eruditus in primis Galeni Interpres rogatus hac de re pridem retulit. Nec ligna hæc, in qvibus

bus nihil eminet, dum pro vitiosæ partis habitu fuerint flexilia, utrinqve apposita vulnerum labris infensiora putârim, qvàm pinnas tereti figurâ longè molestiores; qvas nihilominus nulla doloris injuriâ diuturnior usus admisit. Ceterùm, diversas si qvis hasce opinetur formâ Fibulas, Circulus certè absq; fascia qvomodo hærebit, qvomodo etiam ligna, ostendat necesse est. Ea verò sine horum alterutro vulneri glutinando vix suffecerit. Neqve enim

Meth. Med. L. 4. C. 6. aliud videtur, qvàm Ligatura Simplex, ex Galeno haut dubiè ut alia pleraq; Avicennæ nota; qvæ nunc

L. 4. Fen. 4. Tr. 1. C. 3. aliqvamdiu desiit. Illud memorabile, nullâ ex his necessitate confici, cutem Fibulâ semper fuisse perforatam, sed adstricta solùm vulneris labia; ut vel eò Fibulæ finis non malè censeri possit constrictio, qvum ea cutem sine transitu ad suturæ stabilitatem contineat. Inde Joannes Costæus Avicennæ Ligaturam non ab re qvidem exponit conservationem conjunctorum ulceris labiorum: ampliori tamen usu addit, sive per fascias, fibulasve, sive per Suturas, seu etiam per panni alicujus supra ulcus agglutinationem fiat. Suturæ autem Fibulam modo hîc proposito qvandoqve junctam fuisse, non parvam mihi

Art. Veter. L. 2. C. 15. suspicionem faciunt hæc P. Vegetii verba: *Non longè à pilis ab interiore parte scalpello plagam dabis in media palpebra, post forficibus per longum ad mensuram oculi fasciolam præcides, & impositis Fibulis consues palpebram foris versùs, ut oculus sine deformitate recipiat visum, & gratiam naturalem.* Qvin etiam societas hæc ab

Cap. 31. ipso ampliùs asseritur in hunc modum: *si jumenti lingva fuerit incisa, statim cum Fibulis conjuito.* Et

mox:

mox: *Alii postqvam fibulas acceperint, lingvaq; vino fuerit elota, mel imponendum esse duxerunt.* Qvæ postrema, licet M. S. Viri Cl. Joan. Sambuci defuerint, si retinenda censuerint Critici; Fibulam non Suturæ instrumentum, sed proprium qvid, & Causam ut vulgò sine-qva-non, ab altera distinctè positam declarant. *Neq; enim est*, inqvit princeps eruditionis Anneus Seneca, *cur aliqvid putes ejus adjutorio fieri, sine qvo non potest fieri, sine cibo ad virtutem non pervenitur, cibus tamen ad virtutem non pertinet.* Epist. 80.
Vegetii simul loco ea lucem dabunt: qvem si qvis per sextum casum intellexerit, non minus elegantiæ sermoni accedet, qvàm veritatis; qvum vix probabile fuerit, eos qvi pecoribus ac jumentis medentur remedium malo gravius elegisse: ut frustrà Vir doctus hìc putaverit Fibulas fuisse circellorum speciе, qvæ certè lingvæ molestiores longè simplici Suturâ: qvam Autor innuit. Aliam verò Infibulationis rationem jam satis patefeci. Glutinum profectò Suturæ ad robur semper injiciendum præcipit Felix Vurtzius Chirurgus inter Germanos olim exercitatissimus; Plinius item Valerianus longè prius: *Si parvum vulnus est, linteum illitum impones, & colligit: qvod si Scissura est, priùs consue, & sic impone.* Fibulam tamen & à Glutino & à Sutura modo qvodam diversam certis suo loco rationibus confeci. Ratio interim judicet, qvod peritis æqvum videbitur, qvos hìc admisturos confido Galeni verissimum: *Species accommodatur, & vitiatæ partis forma, & vitio qvo detinetur. Si verò in profundum vulnus protendatur, & Suturis & Fibulis solemus in unum*

Chir. Vul. Par. 2. c. 14.
L. 3. C. 20.
Comm. T. 2. Hip. de Offic. Med. Art. Cur. ad Glauc.

L. 2. C. 8. *unum cogere.* Mihi si qvid liberiùs exciderit, qvam rei difficultas postulat, excusationem merebitur. In ulteriores cogitationes excedere vetat sapientissimum Menandri Monostichum:

Τὰ πολλὰ τολμᾷν, πόλλ' ἁμαρτάνειν ποιεῖ.
Audere multa, multa nos labi facit.

Cap. IX.

BARBARORUM, qviq; hos secuti, de Fibula Chirurgica Opinio expenditur.

OCcupata verò ab ingeniis Arabum postqvam à Græcis priscisq; Latinis ad Barbarorum familiam transiisset Medicinæ possessio, sincerioris jam cultus exsors; inter hos primus Guido Caulfacus in Chirurgia sua, qvam Magnam inscripsit, Suturam Incarnativam ex Galeno instituit cum *Hamis, qvi debent esse parvi secundùm membrum ab utraq; parte curvati, & infigendo in uno labio ducatur labium ad alterum labium, & in illo etiam figatur, ut faciunt retonditores pannorum.* Lanarios intellige. Huic adstipulatur Chirurgus doctissimus Joan. Tagaultius; qvem ut Galeno contrarium juxta Petrum Martyrem Oddus de Oddis taxavit meliori jure, qvàm Joan. Ammonium Agricolam, qvem Guidonis asseclam fecit. Hic enim Fibulam non describit, sed ad Galeni illustrationem solum Infibulandi modum è Celso recenset. Qvòd si fibulæ etiam mentionem fecisset, nullam certè meruisset inde notam, qvum de

[Margin notes: Tr. 3. Doct. 1, Cap. 1. — De Ulcerib. — De Loc. aff. L. 6. C. 6.]

de Vulneraria tantummodo omnis hic ſit contro-
verſia. Cauliaco etiam ſubſcribit Janus Cornarius, *Com. in Gal.*
qvi 'Αγκτηριασμὸν credit fibulis ſeu hamulis fieri, *L. 2. C. 2.*
Fibulas verò Andreas à Cruce, magis opinione qvàm *de com. med.*
uſu, deſcribit inſtrumenta ferrea ab utraqve parte *ſec. l. ca.*
recurvata, hami effigiem repræſentantia, qvæ dis- *Præfat.*
junctas partes committunt. Ab eodem fonte ef- *Chirurg.*
fluxit Rob. Conſtantini Galli obſervatio, qvàm cu-
riosè adſcripſit margini Cornelii Celſi, ubi Fibulas *L. 7. C. 4.*
explicavit, vulgo *Happes*, *Attaches*. Affinem huic
Suturæ rationem; qvam loco nuper adducto Sutu-
ram Incarnativam cum Acu vocat Guido de Caulia-
co, Veſſalius & alii Suturam Agglutinatoriam acu,
vel pinnâ cum acu introductâ; in Puerorum labiis
maximè laudatam, qvantumvis ſui ſæculi culpâ im-
politè, in hæc tamen verba accuratè exhibet Berta-
palea: *Talis Sutura fit dimittendo Acus & circumcirca* *In Avic. F.*
volvendo filum, & annodando, ut non posſit disgregari, *4 Tr. 2. C.*
nec posſit acus removeri usq; ad perfectam conſolidatio- *8.*
nem, & puncta acus incidatur cum tenalia, ne puncta
figatur in carne: & ſi vis, potes facere acus argenteas,
ſi vis dimittere in carne, qvod erit bonum pro nobilibus
& delicatis. Vereor autem ne modus hic faciliùs
verbis, qvàm opere exprimatur: qvamvis renovato
forſan, qvod obſoleverat, Albucaſis dogmate, eam *Chirurg. P.*
qvoqve non unâ acu, ſed pluribus, pro vulneris ſpa- *2. Cap. 87.*
tio, cum filo formâ ovali revolutis circumſcripſe-
rint Tagliacotius, & Tagaultius. Hæc verò proba- *Chir. Artic.*
tior qvidem Stephano Gourmelino, ſed valida mi- *Lib. 1. Cap.*
nus eſt eâ, qvæ filo decuſſatim injecto paratur. *de ſutura.*
Peccetio hic ipſe 'Αγκτὴρ eſt, non Hamus, nec ſolùm *Chir. curt.*
L. 1. C. 16.

 Fibu-

Inst. Chir. L. 2. C. 4. Fibula perforans, ſed cum fili circumductione ex Acu & Filo: cujus etiam ex aliena opinione meminit *Chir. L. 4. Cap. 1. Comm. Meth. Me. L. 3. C. 4.* Vidus Vidius. Atqve hanc cum Fabio Pacio Hippolytus à Parma Medicus & Chirurgus Patavinus veriſſimam Celſi Fibulam putat, qvòd perinde ac Sutura acu & aciâ ſeu filo perficiatur. Iisq; M. Aurelius *Chir. effic. Par. 2. c. 125.* Severinus eximio rerum uſu Neapoli Doctor celeberrimus plane concedit. Qvæ tametſi in hoc à Sutura nonnullis videatur diſcrepare, qvà nihil propriè conſuit; Celſi tamen verbis obniti nolo, qvi *L. 5. C. 26. L. 7. C. 22.* ait utramqve imponi, & Fibulam oras perforatas filo tenere: qvorum vis poſteà evidentior fiet. Iſtam in Typographo graviter vulnerato qvamvis ex voto qvandoqve tentaverit Pacius; nec abſimilem in magnis ac profundis vulneribus ex aliorum mente proponat Vid. Vidius, ſuaqve obſervatione cum *Chir. L. 4. Cap. 1. Perax. Tr. 2. cap. 17.* dolore factam tradat Platerus; itemqve in labiis leporinis deſcribat exercitatiſſimus Ambroſ. Paræus: audienda tamen omnino Fabricii ab Aqvapendente cautela, qvi addit, carnem non parum affici, & filum ſtringendo labia prorsùs irritare, & agglutinationem impedire, ita dubio procul longo uſu *L. 2. C. 5.* edoctus. Junior enim, ut ex Pentateucho Chirurgico, & Operationibus Chirurgicis deprehendere licet, Fibulam qvoqve Metallicam opinabatur; Acum nempe ferream, vel æneam, ignis beneficio præterqvam in acie ipſa flexibilem ac mollem, non tamen duram, ut Guido, ſed molliorem. Diverſis itaqve acubus ferreis, qvæ cuſpide ſolùm duriore flexiles, vulnerum labia junxit, qvarum extremitates ſiniſtrâ ad dextras, & vice verſâ retorqvendo aptabat

bat suprà vulnus, vel rectè & planè, vel post nodum Fallopii more factum, easqve sic conservabat, donec vulnus ferè glutinatum esset. Qvam sententiam, licet paradoxam, secundi qvorundam eventus confirmabant. Nimirum, experientia Veterinariorum, qvos venam in eqvo apertam viderat clavo flexibili claudere: commodior deinde harum acuum usus, qvæ aculeorum expertes omnisqve erosionis, qvâ lævigatæ & rotundæ, secùs ac Guidonis Fibula; tum majus etiam acus metallicæ robur, dummodo ea mollis; postea nec metallum æqvè laxari ac filum; nec à sanie putrescere; qvin refrigerare atqve adstringere. Verùm senior tandem re meliùs pensitatâ in Fallopii sententiam concedere maluit; Fibulam nempe ex filo instituendam ratus; qvòd hæc opinio ut verissima Celsi verbis & menti ad amussim conveniat, qvi solus & accuratè inter veteres Fibulam descripsit. Nec sine causa. Utraq; enim, & Sutura & Fibula, teste Celso, fit ex Acia molli. Hæc Acum verò qvâ ratione denotabit, si Sutura non fiat ex Acu solâ, sed ex acu & filo, discretè? Sin universè Acia fili nomen occupat, ut fatentur omnes cujuscunqve partis assecIæ, utiqve non erit acus, qvæ in Sutura & Fibula transit. Multis autem relinqvatur Chirurgia isto digna tergore. Nec verò diffitetur ipse Fabricius ab Aqvapendente in Hæmorrhagia à vulnere fieri vinculum, qvoties vas volsellâ aliove instrumento adunco apprehensum, & filo nonihil intorto undiqvaqve obvolutum stringitur. Fibula igitur, qvâ Vinculum est, materiam veluti Sutura mollem habet. Addit idem, Fibulæ materiam

ratione usus posse filum esse vulneribus aptisſimum, modò cerâ candidâ obductum, ne punctum laxetur, qvò firmiùs hæreat, neúe promtè perrodat. Sed formâ peculiari: qvam tamen non prodidit. Hinc Oddus de Oddis rectè statuit, qvòd ea, qvæ Hamis conficitur, Fibulæ antiqvorum planè renuat. Sanctorius etiam ipsi adhærens meritò Hamos damnat, qvod fluxiones, inflammationes, & affectus vulneribus sæviores excitent; vix tamen Oribasii verbis probaturus Fibulas ex ære, ferro, & auro, formam habuisse circuli. Neqve enim Fibulæ Materiam aut Formam adfert autor Græcus: sed Organa duntaxat scribit fieri ex ilice, fraxino, ære, & ferro, sine ulla Fibulæ mentione, nisi qvis forsan velit eam hisce verbis includi: *omnia qvæcunq; exigua sunt.* Hæc tamen veriùs Machinas videntur indicare, qvàm Chirurgorum ferramenta, qvæ Hippocrates distinctè recensuit: etiamsi Instrumenta ejusdem sint generis cum machinamentis. Sed enim Fabricii ab Aqvapendente lapsu huc inductus fuit vir magnus, ex qvo totidem penè verbis hanc divulgavit sententiam, qvam Rudius etiam fuit amplexus. Qvanqvam enim Fibulæ materia tenuis in transversis vulneribus labia rumpit, & ipsa rumpitur, crassa etiam inepta est, nunqvidne mollioris materiæ texturâ sine metalli necesſitate hisce incommodis occurrere licebit? Esto autem, qvòd Fibulæ oras paulum contrahant, alio tamen, ipso etiam teste, id asseqvi contingit ingenio, qvàm circulo, isto nempe Suturæ modo, qvem ipse à Fibula materiæ tenuitate nihil discrepare fatetur. Imò timidis læsisqve eximii sensus par-

Comm. Art. Med. Cap. 90.

De Mech. Cap. 4.

De dec. ornatu.

Gal. in L. Hipp. de Offic. Med. Comm. 1. T. 6.

Pent. Chir. L. 2. C. 5.

De Vuln. L. 1. C. 9.

partibus Fibularum loco puncta concedit. At neq; apud Oribasium Fibulæ alia occurrit consideratio, qvàm Mechanica, eaq; clavo similis est: neq; uspiam Auri in ullo codice M.S. aut edito fit mentio. Nec qvidqvam ad rem adductus à multis Virgilii locus: *De Mach. Cap. 4.* *Æn. 12.*

— *laterum juncturas Fibula mordet.*

Hunc enim nemo non de Fibula Vestiaria accipiendum perspicit. Tympanum qvidem rotundam machinationem affirmat Oribasius, de Fibulæ verò Figura ne verbum qvidem. Nec tamen, qvod censet ibidem Fabricius, doloris molestia evitatur, si cuspides sursum spectarent. Vulnus enim, qvod improbat ipse, nihilominus relinqvitur laxius; utcunqve Fibula, qvod monet Rudius, labia contrahat: *l. d.* & Hami cujuscunqve figuræ cutem transeuntes semper sunt dolorifici; qvandoqvidem, autore Celso, *Acus toties trajecta magnam inflammationem movet, & auget:* minùs tamen, qvàm si continuò pungerent. *L. 7. C. 7. & 19.* Hæc incommoda qvum nuper eximio inter Doctores Patavinos Petro de Marchettis Chirurgiæ Professori manu ac mente promto per familiare colloqvium oggererem, ingeniosè ille suspicatus fuit, plagulis glutine oblitis fibulas sive ansulas æneas fuisse insertas, qvæ ad stabiliorem partium unionem constringebantur; nec unqvam ob dolorem exqvisitissimum Hamos carni injectos. Qvæ sanè conjectura eò mihi probatior, qvòd Franciscum Joelem *Op. med. To. 6.* consummati usus Medicum in eandem fermè de uncis opinionem communi Mercurio incidisse videam. Hamos verò si qvispiam aliàs voluerit interpretari Ansulas è filo contextas, parum peccabit;

qvum

Pent.Chir. L.2.C.5. qvum & Fabricius ab Aqvapendente linteis tales è duplicato filo contorto ceraqve obducto affigendas glutine consulat; nec aliter Chirurgi Laqveatione Metam.10. vulnera contineant. Hamos etiam Lucius Apulejus mensæ deliciis annumerat, sine ulla Materiæ, vel Usus convenientia, à sola fortassis figura. Cujus ge- De Lingv. Lat. C. 4. neris apud Varronem videtur Circulus, qvi mixtâ farinâ, caseo, & aqvâ circuitum æqvabiliter fundebat. Qvalia in Commentariis ad hunc locum Turnebus Arculata veterum sacris accenset. Ideoqve nulla sub Hami nomine Metalli necessitas. Sed ex diverticulo in viam. Oratio qvippe utilitatis causâ facta est, ut vestimenta. Porrò Fibulæ, tum antiqvæ, tum nostrates, qvum omni non vacent suspicione, qvòd perpetuo dolore, inflammatione, & sanie copiosâ ex multiplici perforatione adglutinationem impediant, aut saltem protrahant, & cicatricem qvoqve deformem relinqvant; qvo etiam no- Chir. Art. Lib 1. Cap. de Fibulu. mine Stephanus Gourmelenus vere monet earum usum nunc esse rarissimum; Glutinis usum, ad labiorum conjunctionem, semper tutum ac necessarium monet diligentissimus per omnia Hieronymus Fabricius, ipsumqve vinculi seu fili perrosionem prohibere: imò Cl. Sanctorius hunc ipsum Suturæ Comm. Art. Med. C.90. præfert. Etsi verò cum Thoma de Vega, & Fabio Pacio in gravioribus plagis majorem solutæ unitatis coagmentationem firmioremqve Suturam huic au- Tr. de Vulner. xilio libens concedam: nolo tamen cum Petro Martyre putes Fibulam Galeni fieri ex pittaciis lineis medicamento fusè varieqve à diversis descriptis infectis: qvamvis hanc qvoqve opinionem fovisse videam

deam eruditiſſimos ac ſubtiliſſimos Galeni Interpretes Joan. Bapt. Montanum, & Salvum Sclanum, à qvibus neqve averſior Valleſius: qvos Clariſſimus Gaſpar Hofmannus oſtendit ſe non invitum ſeqvi. *Poſt cur. lib. cap.* Hi qvippe cum excuſatione potiùs audiendi, qvàm, veluti apud Argenterium aliosqve Montanus, irriſui ſint. Qvanqvam enim Suturâ vel Fibulâ non cutem tantùm, ſed aliqvid etiam ex carne comprehendi oportere dum jubet Celſus, teſtis ſit ipſe *L. 5. C. 26.* locupletiſſimus non ſolum ſatis eſſe glutinum: idem tamen exiſtimarunt fortasſis viri inſignes, qvod Veſſalius, & Tagliacotius, qvi tradunt Fibulæ *Chirurg. Mag. L. 3. Cap. 4.* jam penitùs obſoletæ Suturam Siccam, qvæ Veſſalio ſimpliciter Adglutinatoria, ſucceſsiſſe. Ejusdem animi eſt Joannes Fragoſus celebris olim inter Hi- *Chir. curt. L. 1 C. 16.* ſpanos Chirurgus, qvi rectè addit, Guidonis Hamum magis curioſum, qvàm utilem. Qvod neq; publico *Chirurg. L. 3. C. 2.* apud Patavinos Galeni Interpreti Dominico Salæ Viro ingenioſiſſimo diſplicere video. Ea nempe apud Veſſalium fit pittaciis ſive pannis figuræ trian- *L. cit. C. 8.* gularis, vel, qvod Franciſco Arcæo placet, qvadratæ, *De cur. Vuln. L. 1. Cap. 7.* ad plagæ longitudinem glutino adſtringente, ſeu ovi albo, & cataplaſmate illitis, & partis vulneri ad latera utrinqve labiorum admotis, qvæ vel filis ſericis validioribus ab utroq; capite impoſitis nodo, vel ſuitione, copulantur. Sic enim, dum adducuntur vulneris oræ, nec committuntur, lata cicatrix inducitur. Idem Galeni temporibus receptum fuiſſe *De Comp. med. ſec. loc. L. 2. C. 2.* erit diſerta ipſius verba expendenti perſpicuum, Jano Cornario interprete: In mediocribus capitis vulneribus, aut qvæ omnino legitimo Medico non ha- „

„ bent opus, in qvibus qvando nuditas per ſe non ad-
„ eſt, pilos rademus, fibulisq; impoſitis *conſtringemus*,
„ ac glutinantibus experimento cognitis utemur. Et
„ mox: In qvibus vero os denudatum eſt, diviſa mem-
„ brana calvariam ambiente, os ipſum ſcalpemus, &
„ per *ſuturæ adductionem*, tanqvam non ſit denudatum,
„ curabimus. Vides ut fibulæ genus iſtud à Sutura diverſum? Similitudine igitur ejusmodi Adglutinantia Fibulas appellari verè monet Bapt. Montanus, qva partes divulſas earum in modum continent: minori qvidem incommodo qvàm Sutura, ſine dolore, inflammatione inſigni; ſed minori etiam efficaciâ. Tutius tamen hoc ſine anſulis præſidium, & expeditius, qvod ſimplici pannorum firmiter hærentium per acum & filum connexione ſive ſuturâ non ſolùm diſtantes unit partes, ſed puris effluvio minùs intricatur. Hippocratis oraculum eſt: Τὰ δὲ περιφερόμενα ἅπαντα μὲν χρὴ συνοίσειν ὅπως συνοίσῃ, μάλιστα δὲ, πλεῖστον εἰ ὁμιλεῖν μέλλει τῷ νοσοῦντι μέρει. *Cuncta vero quæ admoventur, utilia ut ſint, ſtudendum eſt, maximè ſi ægræ parti diu inhærere debeant.* (Lib. de Medico.)

Cap. X.

FIBULA Vulneraria Suturæ ſpecies.

Animum minùs fatigat Sutura Fibulæ loco diu Medicis recepta, qvæ planior eſt, qvàm ut inſignem dubitandi anſam dederit. Nam, miſsâ notione alia, qvâ Galeno autore ea in Faſciarum ſe- (L. de Faſc.)

riem

riem conjicitur; Vulnerum oris conveniens, vel Simplex eſt ſive Una, qvæ apud Celſum unâ perforatione peragitur in cute, & propriè Sutura nominatur; vel Multiplex; eaqve modò Continua, qvæ unico ductu à principio ad finem perficitur; modò Diſcreta, de puncto in punctum, qvæ Sutura per puncta & Punctatio appellatur. Atqve ex his qvamlibet filo perfici concedunt omnes, dummodo fuerit Adglutinatoria, qvæ Barbaris Incarnativa mollioris partis vulneribus propriè facit. Proinde Marianus Sanctus in Examine Medico-Chirur. non ineptè SUTURAM ponit *Labia vulneris ſeparata Acu & Filo idoneè unire, ut unius lateris pars alteri parti aptè cohæreat, ut cicatrix pulcra conſolidatione remaneat.* Inde Statius: L.7.C.13.

— — *efflantes libet internectere plagas.* Theb. 8.

In qvem locum Lutatius: *Inſuere. Metaphoram traxit à medicis, qvi ſolent lethalia vulnera annectere.* Plinius Valerianus optimè: *Si parvum vulnus eſt, linteum illitum impones, & colligit: qvod ſi ſciſſura eſt, prius conſue, & ſic impones:* Omnium perſpicacisſime Paulus Ægineta: *ſi magnum fuerit ulcus, ut diſparata omnino contrahi per deligationem non posſint, ſuturis primum ipſa contrahere oportet.* Eam licet molli parti deſtinatam tradat Hollerius, & qvidem vulneri extremæ cutis, qvemadmodum poſt Lanfrancum ſuggesſit Mich. Blondus, præcipueqve Capitis, atteſtante Rogerio, ſecundùm latera, non in vertice, Chalmetæi præcepto; ob inflammationis metum, ut ſuſpicatur Felix Vurtzius; ſtudioſè cavendo riſum, ne rumpantur Fibulæ, monente Anonymo qvodam De re med. L.3.C.20. L.4.c.36. Inſtit. Chir. L.6. C.10. Tr.3 C.2. 10. & 12. Enchir. Chir. L.2. Cap.14. Chir Vul. P.2.C.6.

Chirurgo Animadversionibus fœcundo, qvem è relictis V. Cl. Roderici Fonsecæ libris cum Celso M. S. Venetiis habui: attamen *iis non simplicibus tantùm, sed multis aliis non parvis, hoc est, magnis, & transversis*, addocente Galeno, *quà partes unit, & alterationem ab aere multum nocivam prohibet*, *utilem* Guido judicat. Hanc verò Acu filum ducente administrandam, peritorum instituto probavit usus: qvi, ut refert ipse, ad evitandam æruginis asperitatem, chalybem ferro, & ad sustinendum oneris robur, argento atq; auro longè commodiorem deprehendit. Sed Filum etiam lineum sive sericum hîc postulant ferè omnes; idqve crassius, vulnere profundo labiisve pluſculum dissitis: aliàs subtilius. Qvod enim in Chirurgicis Æneum depinxerit Celeberrimus Andreas à Cruce, suis id usibus reservatum abundè patet ex iis, qvæ ex Hippocrate alibi dicta. Lineum sanè, tanqvam usitatissimum ad majorem conservationem, commodè præfert ille serico: hoc tamen neqve minùs laudatum, qvin potiori loco habitum viris multo rerum usu exercitatissimis, Nicolo Florentino, Rolando, Michaeli Angelo Blondo, & Joanni Riolano Patri; atqve in primis cocco tinctum qvidem Joannes Fragosus adstringendo credit parti robur addere: cui Franciscus Joel suffragari videtur. Primus hîc Guido Cauliacus inter Latinos à reliqvis diversus, Suturam Incarnativam ex Galeno, ut putat, cum Hamis describit, qvam & Incarnativam cum Acu appellat; Tagaultius transcriptor ejus paulo cultior, qviqve hunc ad verbum ferè expressit magnâ famæ celebritate Vesalius, Adglutinatoriam Acu: qvo-

Meth. Med. L. 3. C. ult. & Art. Med, C. 90.

L. cit, c. 1.

L. cit. C. 48. & 60.

L. 1. C. 10. Chir. Meth. Par. S. 4. c. 2. & Chir. Sect. 3. c. 3. Chir. Mag. Tr. 3. Doct. 1. cap. 2.

qvomodo & Tagliacotius. Felix Vurtzius inter Germanos sui seculi celebris Chirurgus *Heft mit der nadel*, ac si diceret *Suturam cum Acu.* Hæc autem nihil habet à Fibula Celsi alienum: ut verè asseveret Eustachius Rudius, Guidonem Fibulas cum Sutura confundere. Qvin ea horum Præsidiorum est affinitas, ut multis summi ingenii viris hæc Suturæ species à Fibula vix reapse discrepet. Hinc laudatus modò Crucius: *SUTURA oras jungit, nec qvidem ex toto: & hæc est vera fibulandi ratio.* Idemqve alibi de Sutura utitur verbo *Fibulare.* Petrus Ruellius etiam *Fibulas* exponit *Suturas, qvæ vulneris oras paulum contrahunt & jungunt, qvo minus lata postea cicatrix sit.* Qvid verò Hesychio planius? Ῥαφὶς, περόνη. *Sutura, Fibula.* Cui similis Phavorinus, nisi qvòd jungat ὑπόδημα. Ῥαφὴ forsan scripserat ille primitùs. Ῥαφὶς qvippe Acus: qvam à Fibula separasse ipsum qvis dubitat, nisi planè insipidus? Prætereo, antiqvissimis Græci sermonis autoribus Homero ac Herodoto non aliâ similitudine in medicationis partem assumtum esse verbum Ἀκέομαι, qvod Latinis *Sarcire:* unde non ineptius Aciam forsan nonnulli, qvàm alii Acum derivârunt. Qva etiam ratione Acia à Græco Ἄσια derivatur Sententia Cl. Salmasii ad Jacobum Fabricium Peireschium. Acus verò, Ἀκέστρα rectiùs Luciano, qvàm vulgò apud Erotianum Ἀκέστρια; qvanqvam Eustathio receptum sit Ἀκέστριον, & Hesychio Ἀκεστήριον. Ἀκέστρια qvippe in Veteri Lexico Græco-Latino ἡ καμωτήρια, *Sarcinatrix;* & Ἀκέστρα *Acus, Acuncula,* in Onomastico Latino-Græco apud Bonav. Vulcanium; itemqve Pha-

(L. 1. C. 17. De Vuln. L. 1. C. 9. — Vulner. L. 1. c. 9. — Præf. Chir. — Chir. L. 5. Sect 1. C. 16. — Nomencl. rei veterin. — Il. ν. π. χ. Thal. — Epist. 45. — Dial. Mer. & Char.)

De Vict. rat. L. I. vorino Ἀκέςρα ζειλόνη. Eleganter in hanc rem Cous noster: Σκύτεες τὰ ὅλα κατὰ μέρεα διαιρέοντες, τέμνοντες δὲ καὶ κεντέοντες, τὰ σαθρὰ ὑγιέα ποιέουσιν, καὶ ἄνθρωπος δὲ τὸ ωὐτὸ πάσχει. *Sutores totis in partes divisis, secando & pungendo, corrupta integra reddunt. Idem etiam in homine contingit.* Senis effatum proverbio cessisse ostendit eorundem fermè temporum illustris morum magister Xenophon, qvando ait: ὥσπερ ἱματίων εἰσί τινες ἀκεσταί, οὕτω καὶ ἰατροί. *Qvemadmodum amictuum fractorum sunt resarcinatores, sic etiam Medici:* Francisco Philelpho interprete. Neqve Galenus certè veritus fuit nobilissimam ceteroqvin artem medicam interpolatrici & Sartoriæ arti comparare. Ita Zeno Romani porticus: *cur in numero viventium me positum esse gauderem? an ut cibos & potiones percolarem? ut hoc corpus caussarium ac fluidum periturumq; sarcirem, & viverem ægri minister?* Sic enim malo, autoritate libri Britannici, non qvod vulgò, *casurum*, nec ut alii *farcirem*. Benè Celsus: *Tertium est, si qvid ibi curti est, sarcire.* qvi Cap. seqventi Suturam indicat. Hac ratione Dalechampius Acestrian Antiphanis comœdiam apud Atheneum concinnè Sartricem seu Medicatricem vertit. Ejus generis antiqvus lapis, qvem in ruderibus ædium hac inscriptione Ateste repertum prodit Hippolitus Angelerius in libello de Antiqvitate urbis Atestinæ, cujus autographum vidimus apud amicum nostrum Illustrissimum Credatii Comitem Jacobum Zabarellam Patavinum magni Philosophi ex filio nepotem.

Cyropæd. I.

ad Thrasyb. c. 16. 26. 30. Præf. L. I. Qu. Nat.

L. 7. C. 8. & 9.

Deipn. L. 9.

SAC DIS. MAN LUCRE
TIAE. M. L. PLACIDAE
SARCINATRICI

Ne-

Neqve ab hac ſententia multum ſe abhorrere ſuis ad Clariſſimum Gabrielem Naudæum declaravit & doctrinâ & medendi peritiâ celeberrimus Renatus Moræus, Regius Chirurgiæ Profeſſor Pariſiis, Fibulam veterum ſcribens non fuiſſe ex Metallo, ſed ex Filo, neqve contrariam Suturæ, qvæ Gallis vulgò *Entre-coupée* vocatur, Latinis meâ ſententiâ *Interciſa* ſive *Diviſa*: qvam Celſus noſter à Simplici omninò ſeparavit. Poſtqvam enim dixiſſet: *L. 7. C. 7.* *ora vulneris inter ſe ſimplici ſuturâ committenda.* Subjungit: *aliæ Suturæ adjiciendæ, qvæ ſupra tres eſſe non debent.* Ecce, qvomodo Suturæ, qvæ alibi ſimpliciter Plurium numero dicuntur *oras vulneris comprehendere*, & *Injiciendæ*, hìc numero diſcreto varieta- *L. d. C. 4. & 9.* tis indice determinantur: ut Multiplicem Diviſam hìc indicaverit omninò ſcriptor polititiſſimus. Qvam Suturam ſi Fibulam voluerit Fallopius, qvando ait *De Vuln. To. 2. Tr. 3. Cap. 12.* Fibulam apud Medicos filum collectum nodo ad labia vulnerum conjungenda, nihil ſanè abſurdi cogitavit; qvum Galenus eadem ſententiâ qvâ Celſus *3. Meth. Med. c. ult.* per Suturas puncta ipſa intelligat, etiam fatente idipſum Euſtachio Rudio, viro alioqvin perſpicaciſſimo, ſed qvi Fallopium tamen diligentiſſimum hìc *De Vuln. L. 1. C. 9.* erroris arguit. Ea ratione Apſyrtus in eqvo jubet pectoris cutem, membranasqve reſcindere, utriqve *Med. Veter. L. 1. C. 2. & 47.* vulneris oræ canabinas lineasve fibulas infigere. Hujus igitur cum Fibula ut evidentior ſit comunio, intuere, Lector, utramqve intimiùs. Materiâ, Formâ, & Fine convenientes, ſolo nomine diverſæ, ſpeciem utiqve non mutant. Eædem planè utriusqve propterea apud Celſum Proprietates, Cautiones

eædem

L.5.C.26. eædem. Utrobiqve ſcilicet *Acus corpus tranſuit:* In
Comm. 2. Sutura, *Filum in nodum finitur*, autore Galeno; *Vin-*
T.8.Hipp.de *culum ex duobus linis acu trajectis conficitur*, apud Cel-
Offic. Med. ſum. Hoc autem ſine Nodo minimè factum: qvum
L.7.C.29. ſubdat ipſe tempus ſolvendi Fibulas. Modum verò
21. & 22. ſic tradit Nicolus Florentinus: *cùm diſſolvendi puncta*
Serm.7.Tr. *tempus advenerit, tunc forficibus incide filum juxta mo-*
4.Sum.1. *dum factum; deinde labia vulneris teneantur.* Veſſalius
Cap.48. aliqvantò clariùs: *Sutura fiebat ex filo, qvod conſolida-*
Chir. Mag. *to vulnere ſubjectâ ſpecilli caudâ abſcindendum, inflam-*
L.3.C.8. *matione finitâ, & purgato vulnere, ut oras ejus cicatrix devinciat.* Jam verò Fibulas qvoqve incidendas & ſolvendas pari ſenſu præcipit Celſus; apud qvem ferè ſeptimo die Suturæ eximi debent, qvæ etiam qvarto tollendæ. Prudenter: ne, qvod advertit Vurzius, à ſerici corrodentis mora præter conſolidationis difficultatem cicatrix fœditate ipſo vulnere gravior evadat. Qvod ipſum ne in facie contingat, ſecundo etiam die Suturæ demi poterunt. Ut in pauca conferam, rei momentum in varia vulneris glutinatione conſiſtit. Suturam prætereà oris cutis injiciendam ait Celſus; Fibulam pariter, qvæ oras vulneris comprehendit, qvemadmodum Sutura. Imò verò ſatis uno eodemqve loco ſemet explicuit ipſe; qvando ingvine inciſo ait, *ipſi plagæ injiciendæ duæ Fibulæ ſunt:* Scroto pariter; *oræ ſcroti ſuturis inter ſe committendæ.* Ut non malè ad vocem Fibulæ hîc annotârit Rob. Conſtantinus Ἀγκτῆρες, *Nodi fili trajecti*: qvanqvam univerſum malim Suturæ apparatum. Sic enim Scribonius Largus de Emplaſtro viridi Gliconis, qvod vocatur Iſis: *Jungit omnem partem*

Marginal notes: L.7.c.19. & 22. — L.ej.c.9. Chir. Vul. P.2.c.6. & 9. — C.7.§.De Pilis palpebr. ocul. irritantib. — L.7.c.19. — Comp.206.

partem divisam, & Fibulis arctatam; præcipuè cùm Intestina prolapsa, & reposita sunt, atq; sartum vulnus, qvod à Græcis dicitur γαστρορραφία, nimirum ῥαφὴ γαστρὸς τετρωμένης, vulnerati ventris connexio. Hæc tamen Sutura penitus à Fibula non videtur aliena; etiamsi præcepto Celsi iisdem filis iisdemq; acubus fuerit continua. Fibula nempe si laxiore nominis usu, ob communem uniendi rationem, apud Largum cujuscunqve partis divisioni, qvidni ventris etiam, convenit? Si tamen propriè consideretur Fibula, Suturæ Intercisæ forma æqvali punctorum distantiâ ejus cum Fibula Vestiaria similitudinem non parum illustrat. Qvod enim fibula longâ serie vestem commisit, omnis vetustatis certissimus autor Homerus indicat: Cam. ult. Ling. Comm. 348. L.7.C.16. Od. σ.

> Ἀντινόῳ μὲν ἔνεικε μέγαν περικαλλέα πέπλον
> Ποικίλον. ἐν δ' ἄρ' ἔσαν περόναι δυοκαίδεκα, πᾶσαι
> Χρύσειαι, κληῖσιν εὐγνάμπτοις ἀραρυῖαι.
> *Antinoo qvidem portavit magnam perpulcram vestem*
> *Variam, intus autem erant fibulæ duodecim, omnes*
> *Aureæ, juncturis benè flexibilibus congruentes.*

Qvod Phavorinus de peplo notavit. Græcum verò εὐγνάμπτοις privatim Juncturas videtur aduncas sive uncinatas inferre. Proinde Jeremias Hoeltzlin rectè vertit Apollonium Rhodium: Argon. 3. v.832.

> ———— δῦνε δὲ πέπλον
> Καλὸν, εὐγνάμπτοισιν ἐεργμένον περόνῃσιν.
> ———— *tum peplum induit*
> *Pulcrum, affabrè inflexis aptum fibulis.*

Qvod venustè Corippus expressit:

 Aurea

Lib. 2. *Aurea juncturas morsu præstrinxit adunco*
Fibula.

Mantissæ loco accedit, qvod penè præterieram:
L.5.C.26. qvòd apud Celsum *utraq;* (Sutura & Fibula) *eatenus*
utilis, qvà cutis ducentem qvasi suâ sponte subseqvitur:
Pent. Chir. idemq; Fabrit. ab Aqvapendente de Puncturis etiam
L.2.C.5. pronunciat. De Sutura Chirurgorum cum Fallopio
Loc. cit. intelligit Cl. Sanctorius. Ab hac mente Vidus Vi-
Chirurg. dius: *Fibula Suturæ similis est, qvum acu filum ducente*
L.4.C.1. *admoveatur ad conjungenda ea, quæ conjunximus.*
Differt autem qvòd non accipitur Filum perpetuum,
veluti in Sutura; sed ubi trajectum est per utrumq; la-
brum, præciditur, ac nodo alligatur: qvanqvam latiùs
patet Fibula, qvàm Sutura, qvum clavis tam ligneis
qvàm metallicis distineat inter se conjuncta, quæ alioqvin
separata. Et mox: *Fibula fit per acum ducentem filum*
sericum, aut ex lino, non secùs qvàm Sutura, easdemq;
animadversiones reqvirit. Rectè ac eruditè; modò
simplicem Suturam non accipiat. Cetera qvæ de
Fibula Mechanica addit, ex iis qvæ supra dixi plana
Meth. Med. sunt. Sed reciprocum etiam Suturæ ac Fibulæ usum
L.3.C.10. ingerit Galenus, apud qvem ex veteri Codice legitur:
ἢ ἀγκτῆρες ἀρκέσουσιν, ἢ ἐλάχισαι πάνυ ῥαφαὶ: aut Fibulæ
satis erunt, aut minimæ admodum Suturæ. Qvin Lati-
nis etiam Scriptoribus *Sutum* esse Fibulatum, & *Re-*
Not. Vopisc. *sutum* refibulatum Svetonii autoritate Salmasius
P. 233. probavit. Adde, qvòd apud Jul. Pollucem de Sar-
r. 40. tore & Acu disputantem Ῥαφὴ pariterq; Ῥαφὶς *Fibula*
L.7.C.12. sit Gualthero, qvæ aliter Glossario Veteri *Acus.*
Dial. Luciano etiam satis probati sermonis autori *συῤῥάπτειν*
Ἔρωτες. *περόναις*, apud Salmasium est, *Fibulis chlamydem con-*
nectere.

nectere. Sed, qvod hic palmarium censeri potest, apud Galenum communem Artis Medicæ magistrum ἡ ῥαφὴ fit κατ' θῆξιν; Janus Cornarius vertit, *per Suturæ adductionem*; acutissimus Galeni assertor Gaspar Hofmannus rectiùs, *per acum Suturam*. Hesychio nempe Θῆξις, στιγμή; qvod *Puncturam* interpretari licebit. Ac ne illud omittam: apud Celsum, *acus transuit: injectum vinculum mordet:* de utraqve, Sutura nempe, & Fibula, effertur. Qvum itaqve similium eadem sit ratio; Fibulæ æqvè proprium, qvàm Suturæ, Linum colligo. Unde nec immeritò Vessalius Fibulam Suturæ speciem, seu veriùs instrumentum, censuit. Suturam tamen Simplicem, & Multiplicem Continuam, Celso distinctam à Fibula scopi diversitate, qvam suppeditat Vulneris conditio, certum est: nec alia ei qvàm diversi modi cum Fibula discrepantia intercedit. At ne longiùs abeam, Galeni verba sunt: *In Transversis Vulneribus* (sub qvibus Fabricius ab Aqvapendente etiam Obliqva comprehendit) *qvòd labra ipsorum magis dissidentia conjungi diligentiùs postulent, tum Suturis, tum Fibulis, utendum. Qvæ verò per longitudinem musculorum facta, si à duplici initio deliges, nec Suturis nec Fibulis egebis.* Qvam sententiam ad Glauc. breviùs, sed apertiùs repetit: *Si in profundum vulnus protendatur, & Suturis & Fibulis solemus in unum cogere. Suturæ verò qvicqvid deest, Fibula facilè supplebit:* Qvorsum verò tot punctis vulneratum cruciare aut deturpare juvat, ubi præsto est compendii gratia? Eapropter Suturamne intellexerit Magister Siccam, decernant periti. Idemne voluit ille fortasis qvod

Lib. 2. De med. sec. loc. Cap. 2.

L. 5. C. 25.

Chirurg. Mag. L. 3. Cap. 8.

Meth. Med. L. 5. C. post

L. 2. C. 8.

L. 7. C. 7. Celsus, qvi etiam in palbebris Suturæ simplici alias Suturas adjiciendas consulit; qvas omnino discretas paulò ante ostendi, adeoqve nihil à Fibula diversas? Glutino Suturam qvidem firmari notum est. Solum tamen ne faciei qvidem vulneribus sufficere observat Incertus scriptor ante laudatus, qvòd superficie tenus duntaxat sanet. Ideoqve Fibulam is postulat, qvam acu & filo conficit. Solâ pariter Fibulâ contentus fuit Celsus, qvando exciso ex toto Fistulæ callo suadet Fibulas superdandas, & medicamentum qvo glutinetur. Sed etiam in sinu recto exciso fibulam oris cutis injiciendam postulat. Fibula igitur cuti summæ imposita fuit, etiam in alto vulnere: qvale extra dubium fistulæ transversæ. Sed in vulnere Musculi qvoqve transversi Suturam prorsùs damnat Avicenna. Et verò Fibulas Suturis junctas nimis vincire Fabricius ab Aqvapendente loco pridem nominato animadvertit. Qvis demum, mi Guido, Hamulis in capite locus? Celsus exemtâ qvidem totâ Steatomatis tunicâ jubet committi oras, fibulamqve his injici. Galenus etiam in mediocribus Capitis Vulneribus Fibulas usurpat; potissimùm, ubi non licet uti Fasciis, monente Vessalio. Nimirum, *ubi cutis ferè sola, & cum pauca carne subjecta est vulnerata, ut in fronte, & etiam ubi Ligatura fieri non potest, & evitatur Sutura, ne ex punctis seqvatur non minor qvàm ex reliqva cicatrice deformitas, ut in vulneribus faciei:* qvemadmodum eruditè Salvus Sclanus in Comment. Art. Medic. annotat: sed ex sua opinione, qvam suprà expendi. Galenum tamen Fibulæ nomine glutinum noluisse, verùm

Marginal notes: 7. 7. C. 4. (beside "postulat, qvam acu & filo conficit"); L. 7. C. 6. (beside "mum, mi Guido"); Chir. Mag. L. 3. C. 5. (beside "Vessalio. Nimirum"); L. 3. T. 47. (beside "eruditè Salvus Sclanus")

verùm Suturam ex mente Celſi, qvando ſic de Capitis Vulnere ſcribit; *δεῖ χρῆσθαι τοῖς κολλητικοῖς καὶ* Lib. 2. de *ἀφλεγμάντοις φαρμάκοις, προαγκτηριάσαντας τὰ χείλη τοῦ* Comp. *ἕλκους, convenit uti glutinantibus & inflammationem* Med. ſec. *arcentibus medicamentis, oris ulceris fibulâ priùs commis-* Loc. C. 1. *ſis*; perſvadet Ægineta cum Aetio, qvorum uterq; Tetrab. 4. addictiſſimus doctrinæ Galeni, qvam ipſe hac in Serm. 3. parte Apollonio ingenuè reddidit, Suturam in Stea- C. 8. L. tomate imperavit. Horum ſententiam cum Fabri- Cap. 36. cio ab Aqvapendente probavit accuratus juxta & ingenioſus vir M. Aurel. Severinus Neapoli prima- De Abſc. rius Anat. & Chirurgiæ Profeſſor. Et qvomodo ma- An. c. 26. xima fili mollities, pro Fibula poſt Celſum à Galeno L. 5. C. 26. deſiderata, cum Hamis ſubſiſtet? Suturam igitur Meth. Med. eam à Veterum Chirurgorum Fibula Vulneraria L. 6. C. 4. parum diſtare, tum demum abundè planum erit, ſimulatqve licuerit aliorum de Fibula nodum expedire.

CAP. XI.

Recentiorum qvorundam de Fibula Chirurgica fundamentum excutitur.

HErculeo qvidem ille nexu difficilior non eſt, qvamvis primo aſpectu ſatis implicitus. FIBULA qvippe priſcis indifferenter Vinculum erat Metallicum. Fateor. Sed qvæ Machinis continendis inventa. Neqve hæc tamen ſemper talis: verùm, & lignea, & cannabina, ut non minori ſimilitudinis efficaciâ, Vulnerariam pariter ligneam aut

lineam obtinuerim, à Metallica toto cælo differentem. Figuræ qvoqve vis exigua eſt. Eam arbitror enim vario uſui fuiſſe aptatam, omniqve ætate Chirurgis, qvæ cæteris Artificibus, conceſſam variationis libertatem. Veſtiariam, & Militarem, dum urgent alii curiosè ex erudita Antiqvitate depromtam, ſuis ſemet conficiunt armis. Qvantum enim à Vulneraria diſcrepent, ipſæ ſatis produnt. Tales verò qvæ in Antiqvariorum ſcriniis omnes. Neq; à Comica ſive Theatrali ſine ambiguitatis fuco plus ſubſidii. Præterqvam enim qvòd adhuc in dubio eſt hujus Materia, qvam nemo ad nos planè transmiſit; communi qvidem cohibendi uſu reliqvis congruens peculiari ſcopo prorſùs disſidet. Cornelianam verò ſeu Vulnerariam Vinculum etiam fuiſſe Metallicū, non magis qvispiam eliciet, qvàm cetera fila Chirurgis neceſſaria unius ærei exemplo metallica eſſe. Similitudo etiam qvàm plerumqve claudicet Scholis notum, qvæ μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος, non minus qvàm Sophismatum ſpinas declinant. Vulgatiſſimum Ariſtotelis eſt: ἀνάλογον ὐχ ὅμοιον. Qvod verò Fabricium ab Aqvapendente inter principia ubiqve torſit, argumentum mitius eſt, qvàm ut ingenioſis crucem figat. Filo namqve exemto Fibulam indi ſcribit Celſus; ſed Comicam. Nec ulla ratio, cur Fibula Chirurgica non ſit ex filo. Materiam enim Fibulæ variam, pro finis diverſitate, uſus indicavit. Qvamobrem Oribaſii & Guidonis autoritate cum aliis fruſtra Rudius æs aut ferrum Fibulæ Vulnerariæ materiam ſtatuit. At enim, ut vel talem demus fuiſſe illam, nemo tamen ſpero ingenii ita erit duri, qvi

Hiſt. Ani. L.2.C.1.

L.7.C.25.

ri, qvi non Infibulationem, de qva peculiariter Celsus, à Vulnerum glutinatione diversam agnoscat. Sed neqve, ut putat Vir ille doctissimus, adeò usqve absonum videtur, materiam hanc esse mollem, qvòd talis etiam Suturæ; qvandoqvidem pleriqve eam communem agnoscunt. Artificis verò imperiti esset, aut negligentioris, non rectè filum indidisse vulneris; qvò minus, qvod à mollitie metuit ipse, labia longè distantia non dilaceret, ipsumvè rumpatur, aut difficulter trajiciatur ob crassitiem. CELSUS igitur in auxilium vocandus, ut litem amoveat, qvam ipse nullo studio invexit. Is nempe affirmat, *qvò sæpiùs Acus corpus transuit, qvoq́, plura loca injectum vinculum mordet, eò majores inflammationes oriri.* L. 5. C. 26. Qvibus certè nihil planius. *Acus corpus transuit.* At Galenus; *Acu non solâ, sed seqvente filo trajiciuntur, qvæ suuntur, & nodo inter se adstringuntur.* Comm. 2. T. 8. Hipp. de Offic. Med. Postrema hæc apud Celsum scitè: *inter se nodo deligantur.* Obscuræ brevitati ex ipsa Barbarie lucem dat Nicolus Florentinus, qvi modum expressiùs L. 6. C. 18. Serm. 7. T. 4. Sum. I. Cap. 48. tradit: *Priùs utramq́, sues extremitatem cum filo, nodum in eis faciens: postea ex utraq́, extremitate dimisso unius digiti spatio sue, & nodos fac; deinde in medio sue, & nodum fac,* Solitarium autem Celsi pronunciatum Hippocraticæ breviloqventiæ imitationi concedendum, qvum Aciæ pridem meminisset. Neqve ei hoc uni peculiare. Jubet inter Barbaros etiam Brunus Vulnera sui, sine ulla adjectione, Vinculum innuens lineum omnibus notum, qvum expresse subjungat: *fac nodum in qvolibet puncto per se.* Chir. L. 1. cap. 10. Rolandus pariter, & Lanfrancus, qvibus conformis Ro-

gerius,

Doctr. 3. Tr. 3. Cap. 2. gerius. Eumqve esse verum ejusmodi locutionis sensum monstrat apertè Celsus, qvando ex duobus
Chirurg. Cap. 13. linis acu trajectis Vinculum adfert. Qvod ipsum purissimi Termonis Autori verè *injectum*, alibi satis
L. 7. c. 21. superqve probatum fuit. Linum autem *Mordere* non usqve absurdum; qvamvis non fuerit acutum
L. 4. c. 26. atqve ex metallo conflatum: siqvidem Columella etiam cavendum præcipit, ne vinculum incidat, & truncum strangulet: qvod tamen vimineum erat.
cap. 29. Vimen autem, qvum inaruit, penetrat, & insecat corticem. Inde Palladius Rutilius optimè: *Ligatura in vitibus locum debet mutare, ne unum semper assiduitas conterat vinculorum.* Et clariùs: *novellam mollibus vinculis alligemus, Qvia eam teneram vincula duriora præcidunt.* Item: *Palmites ad arborem non duro vimine ligentur, ne eos vinculum recidat, aut atterat.*

De re rust. L. 1. Tit. 6. L. 4. Tit. 7. L. 3. Tit. 3.

L. 7. c. 7. Inde Celsus verè scribit, lini capita paulatim secando excidere. Nec etiam Poëtis Fibulam Vestiariam, à nostro sensu longissimè remotam, describentibus aliud sanè hac voce qvam complexum arctiorem Translatione paulò remotiori elegantiùs & signatiùs demonstrare libuit. Mordere qvippe Fibulam cum Divino Poëta finxit Naso; horumqve exemplo Symmachus:

Æn. 12. Meth. 8. L. 1. Ep. 1.

At mihi castrensem qvòd mordet fibula vestem.

L. 2. Num. 2 Et Corippus:

Aurea juncturas morsu præstrinxit adunco
Fibula. —

Ecloga. 7. Cui persimile Calphurnii:

— *mihi sordes,*
Pullaq; paupertas, & adunco Fibula morsu
Obsuerant.

Qvo

Qvo modo magnus Tertullianus de Pallio: *in Fibulæ morsu humerus acqviescebat*; & D. Hieronymo fibula *chlamydis mordebat oras*. Similiter Matthæus Parisius ad annum cIↄ ccl. *Archiepiscopus firmaculum, qvod vulgariter morsus dicitur, avulsit*. Qvod Gerardus Vossius rectè de fibula intelligit. Mordentem qvoqve eodem sensu posuit Statius, non qvòd ea laceret; sed dentis instar infixa cum tempore forsan atterat, ac mordere videatur: qvemadmodum Gvidus Pancirolus rectè Ovidium interpretatur. Neqve enim insolens orationis sublimitas, qvâ rebus sensu carentibus actum damus. Ac licet id ipsum verè contingeret; non tamen solius id metalli aut corporis cujusqve durioris, sed etiam asperioris est. Sic Angelus Monosinius Academiæ Florentinæ nomine magni Vocabularii autor *Mordere* non malè reddidit *Stringere co' denti*. Pulchrè Symmachus: *Præconia virtutum presso dente perstringere*. Verùm & apud Celsum *telo inter duo ossa demerso, locus ipse mucronem mordere* dicitur, hoc est, arctè adeò stringere, ut telum nisi aliqvo ferramento ictum aut terebrâ foratum non possit excuti. Hunc in modum ad insitionem scite alludens Felix Ennodius: *Novelli dentibus virgulis fructum surculi melioris accommoda: veniat pomorũ successus, dum ore tenero sublimior ab illo te docentē planta mordetur*. Inanimatis etiam hoc admodum eleganter tribuunt Poëtæ, in qvorum numero Lyricorum Princeps Horatius neqvicqvam postremus:

De vit. Sermon. Lib. 3. Cap. 12.
Ep. 49.
Theb. 7.
L. 10. Epi. 1.
L. 7. C. 5.
Dict. 8.

— — *Lyris qvietâ*
Mordet aqvâ, taciturnus amnis.

Car. L. 1. Od. 31.

Qvin & apud Martialem eodem qvo Germanis significatu verbum hoc Frigori tribuitur, cui per se nihil cum duritie, ne dicam cum Metallo, commu-
L. 8, Ep. 14. ne. Locus est obvius:

Pallida ne Cilicum timeant pomaria brumam,
Mordeat & tenerum fortior aura nemus.

Serm. L. 2. Itemqve apud Horatium:
Sat. 6. *Matutina parum cautos jam frigora mordent.*

Qvando nimirum

Georg. 1. — *Boreæ penetrabile frigus adurit,*

v. 93. postqvam gelu ex mente Philosophi calorem uni-
Ar. L. 3. versum coëgit. In hunc modum Minutius Felix:
Probl. 26. *Jam providentiæ qvantæ ne hiems sola glacie ureret.*
L. 3 C. 15. Plin. Valerianus identidem: *Articuli, ut frigora & pruinas sustineant, nec adurantur, malo terræ contuso,*
L. ej. C. 36. *adjecta axungia veteri, perungantur.* Sic enim locus hic verè legitur. *Ad ignis & frigoris adustionem Ru-*
L. 1. Ep. 31. *tæ folia* laudat idem. Affine his illud Symmachi in Epistola ad Ausonium: *Æmuli venena Lectoris vereri,*
Hor. L. 4. *ne libellus admorsu duri dentis uratur.* Optimè Lyricus:
Od. 3. — *jam dente minùs mordeor invido.*

Id. L. 1.
Od. 18. Sed & curæ notio huic verbo subest. Unde *morda-*
De Prov. *ces solicitudines.* Et, *morsus animi*, apud Senecam.
Cap. 4. Item, *tacitus morsus.* Nec minus eleganter corpo-
De Tranq. ris dolorem indicat. Qva ratione de Cepis Æmili-
an. Cap. 1. us Macer in membranis MS. Jacobi Zabarellæ:

Intingens oleo coctas qvi sumserit illas,
Sedat qvos intus dat dysenteria morsus.

Paulo significantius qvã in vulgatis *morbos.* Ceterùm, ne à Celsi verbis recedã, neve ultra differentis scopum simi-

ſimilitudo extendatur, en ejus mentem, ubi de Ani Fiſtulis: *Recens linum alligandum, eductoq; vetere, id in fiſtula cum ſimili nodo relinqvendum. Sic enim id paulatim cutem ſupra fiſtulam incidit.* Et mox: *id qvod ab eo mordetur, inciditur.* Paucisqve interpoſitis: *Qvi feſtinat, adſtringere cutem lino debet, qvo celeriùs ſecet.* Cui ſimile, de Staphylomate Oculi: *Lini duo capita adſtringere inter ſe, qvæ paulatim ſecando id excidunt.* Idem ſimplici filo ſerico rubro, propter tincturam chalcanthi magis penetrabili, adſcribit Fabric. ab Aqvapendente. Neq; aliud ſanè ab Acia exſpectandum; niſi cerâ candidâ oblinatur. Formâ etiam parum disſimili Hippocraticum Ἀδάξεσθαι Galenus in Glosſis Hippocrateis vertit *cum pruritu morderi*, ſive *lancinari*. Heſychio Ἀδιάξω, κνήσομαι: ubi legendum procul dubio Ἀδάξω; veluti apud Phavorinum poſt Suidam Ἀδαξῆσαι, κνῆσαι, λυπῆσαι, *prurire, dolere*; & fortasſis Κνήθομαι, id eſt, *Prurio:* qvo verbo Gentium Doctor delectatus. Sed priusqvam hinc diſcedam, notabile illud Plinii hoc loco non omiſerim: *Cumanæ plagæ concidunt apros, & hæ caſſesve ferri aciem vincunt.* Utcunq; enim hæc verba cum aliis vetuſtioris Codicis diverſi ſenſus permutentur, nihil dotibus lini diſcedit. Qvid enim efficacius, ſi ad Cumanas plagas concidunt apri, & ſi caſſes ferri aciem convincunt? MORDERE itaqve rei duriori proprium qvâ ratione Latini omnes Suturæ ac Fibulæ cenſuerint, nemini ulteriùs dubium credo. Inexplicabilis longè animo laqveus videtur, qvòd Ἀγκτὴρ eodem ſenſu & uſu apud Galenum ſit Metallicus, qvo apud Celſum, qvi de malis Oculorum ſcribit,

[Marginal notes: L. 7. C. 4. — L. 7. C. 7. — Oper. Chir. — 2. Tim. 4. — Nat. Hiſt. L. 19. C. 1. — 2. ad Glau. — L. 7. C. 7.]

scribit, *qvòd Medicus Hamulum acutum paulum mucrone intus recurvato subjicere extremo ungui debeat, eumq́; infigere:* nullâ hîc factâ Retusi mentione, sed Ferramentorum, qvibus tenuibus & retusis venæ
Meth. Med. adurendæ. Ejusmodi Hamulum Galenus appellat
L. 5. C. 3. Ἄγκιστρον διαπείρειν, id est, *Hamum trajicientem:* non qvòd venas perforare expediat, sed partes vicinas, ut eis commodiùs subjiciatur, qvemadmodum in
L. 7. C 4. hunc locum egregiè Fabius Pacius. Retusi qvoqve
L. 6. C. 7. usum esse, aliqvid excipere, ac protrahere, ubi fuerit
Admi. An. paulum recurvatus, docuit Celsus. Talem Hamum
L. 8. C 4. benè Galenus *nec acutum*, *nec hebetem* appellavit.
L. ejusd. Qvòd verò Celsus monuit, *mediam tunicam duobus*
Cap. 20. *hamulis juxta ipsas oras vulneris in inguine adprehendi*
L 7. C 7. *debere:* dixit ipse *Hamulo excipi;* & *Hamis excipi.*
de Encant. licet vulgati Codices omnes legant *excidi*; Vetustior etiam Florentinus M.S. Verùm Constantini emendationem tuetur mens Autoris, ceteræqve dicendi
L. 7. C. 20. formulæ huic similes. Hæc enim ipsius verba sunt: *ea tunica eodem modo duobus hamis excipitur, sic ut à ministro testiculus eatenus contineatur, ne per vulnus*
L. 6. C. 6. *exeat, &c.* Planiùs sub Nilei Collyrio: *Si induruit, & sic emortuus est* (oculus) *ne in pus vertatur, qvatenus fœdè prominebit, excidendus erit, sic ut Hamo summa tunica apprehendatur: infra id deinde scalpellus incidat.*
L. 7. C. 30. Et de Condylomatum curatione: *Si id* (capitulum Condylomatis) *majus est, & basis latior, Hamulo uno aut altero excipiendum est, paulumq́; supra basin incidendum, neq́; relinqvendum qvidqvam ex eo.* Qvando etiam Celsus proximè jussit *Hamulo excipere*, & *cir-*
Cap. 12. *cumcidi*, vel *excidi*, mox distinctiùs ait *Hamulo excipere*, *& scal-*

& scalpello excidere. Sed neqve ullam Scriptori Romano dicam impingit, qvòd Galeno placuerit Ἀγκτηριασμὸς, ἀγκτηριάζειν & ἀγκτῆρας ἐπιτιθέναι. Jam enim satis monstratum, hujus generis dictionem ei consvetam, ubi ne minimus metalli usus. Taceo, qvòd Ἀγκτὴρ Latinis *Hamus*, communi apud Germanos appellatione *Hafte*, sed materiâ ad usum distinctâ, modò de vestibus, modò de Vulnerum unione, *Fel. Vurtz.* usurpetur; eodemqve idiomate *Fibulare*, qvod Ger- *Chir. Vul.* maniæ Chirurgis est *Haften*; è qvibus nemo aliâ *P. 1. C. 3.* voce aptiùs exposuerit illud Celsi: *Suere inter se* *L. 7. C. 9.* *junctas oras.* Ideoqve nec abs re Rob. Constantinus Ἀγκτηριασμὸν ad Celsum *Fili trajecti nodum* inter- *L. 7. C. 19.* pretatur. Populus enim universus (ut rectè Varrò) *De Ling.* qvi rationi obtemperabit, in omnibus verbis uti *Lat. L. 8.* debet Analogiâ ex recta consvetudine natâ. Qvæ cùm non sit Naturalis, nec demissa è cœlo, sed Vo- *Quintil.* luntaria; qvid mirum, de iisdem rebus alia verba *Inst. Orat.* habere Græcos, alia Latinos? Eorum autem signi- *L. 1. C. 6.* ficatio unde petenda optimè docuit Galenus: *Si* *L. ad Thr.* *Assyriorum lingva vocabulum sit, ab ipsis res discenda* *an Ars tu.* *est, qvi nomen illud indiderunt; sive sit Persarum lingva,* *san. ad* *aut Indorum, aut Arabum, aut Æthiopum, aut omnino* *Med spect.* *aliorum qvorundam, illos percunctari oportet.* Neqve *Cap. 32.* *De Mach.* huic sententiæ moram innectit Oribasii Hamus. *Cap. 8.* Hoc enim autore Uncis Fibulæ continentur in Nilei Plintheo. Unde etiam Hamus, à Galeno Machinis accensetur. Sed & Hamus Celsi; qvem ipse Ferra- *L. 7. C. 10.* mentum uncum vocat, Chirurgorum vulgus *il Rampino*; à Fibula longè diversus est, Neqve enim ejus, ut Fibulæ, munus erat, partes diductas continere;

 sed

L.cit. c.7. De Pituit. Ocul. fed, qvod modò oftendi, excipere, fubjici, extrahere, plagæ oras diducere, qvandoqve tunicam; ut qvæ manum defiderabant ante oculos effent, & Linamenta oris infererentur; interdum etiam, docente Æginetâ, tunicam attollere. Cujus contrarium qvamvis ex aperto Celfi loco erui poffe videatur, qvandoqvidem *reperti, qvi inductis per retufos hamos oris, infererent linamenta:* ut non fruftrà qvidam exinde forfan opinari poffent, oras per ejusmodi hamos fuiffe junctas; qvandoqvidem & ipfi *inductæ vulneribus cicatrices funt*, ubi oræ plagarum commiffæ. Hoc tamen autoris verbis adverfatur, & rationi. Id nempe factum refert ipfe, *ut neq; inter fe cutis antiqui fines committerentur, ut in medio caro crefceret, qva venas, ex qvibus humor ad oculos tranfiret, adftringeret.* Qvod à Fibulæ officio alienum, fuo loco fatis oftendi. Taceo qvàm foret difficile, imò, fine effectus fpe, oris per hamos inductis five arctatis, id tentare. Proinde non fine aliqva providæ diligentiæ laude Rob. Conftantinus ope veteris Cod. in margine Editionis Rovillianæ Anni 1566. pro *inductis* fuffecit *diductis*. Qvam vocem qvum in ullo Antiqvorum Codicum Italiæ hactenus obfervârim, nihil meo more in communem lectione unqvam mutandum cenfui, præter levem incifi rejectionem, ut continuato fermone ad fententiæ veritatem legatur, *inductis per retufos hamos oris infererent linamenta.* Cui eò faciliorem fpero locum, qvòd conjecturæ huic meæ favere nunc videam reliqvos omnes libros & calamo & typis exfcriptos, præter unicum Viri Nobiliffimi Vincentii Pinelli, qvem eruditiffimi Pauli Aicar-

Margin notes: L.6.C.62. (beside "cente Æginetâ"); L. 7. C. 7. (beside "deatur, qvandoqvidem"); L.3. C.21. (beside "modi hamos")

Aicardi familiaris ipſius & domeſtici manu diligenter emendatum habeo. Qvidni igitur hic receptæ lectionis ſenſus erit? Diviſâ cute, oris ſcalpello inductis, non ortis naturæ vitio, & per hamos retuſos apprehenſis inſerenda eſſe linamenta. Qvem ne audaciùs videar ex ingenio commentus, ecce pro me Plinium Juniorem, qvi ſermonem inductum patrio velut alienum opponit: *Omnes qvi placendi causâ ſcribunt, qvalia placere viderint, ſcribent: at mihi qvidem confido in hoc genere materiæ lætioris ſtyli conſtare rationem, qvum ea potiùs qvæ preſſiùs & adſtrictiùs, qvàm illa qvæ hilariùs & qvæ exultantiùs ſcripſi, poſſint videri accerſita & inducta.* Sed eundem alibi animum diſtinctiùs idem ſignificavit: *Invideo Græcis, qvòd illorum lingvâ ſcribere maluiſti. Neq; enim conjecturâ eget, qvid ſermone patrio exprimere poſſis, qvum hoc inſititio & inducto tam præclara opera perfeceris.* Addo, expreſſis Celſi verbis. *Utrinq; oras hamulis excipiendas.* Jubetur etiam *miniſter oras vulneris leviter deducere manibus ſuis, vel etiam duobus hamis membranæ interiori injectis.* Hamum præterea Gvidonis non tantùm à Fibula, ſed à Celſi Hamo differentem planè evincit figura literæ S productioris: ut ſileam, ex ejus uſu apud Celſum propoſito manifeſtum eſſe, Hamulo ſuum fuiſſe manubriolum, aut ſtylum ſaltem longiuſculum; nec (qvod Fibulæ proprium) in cute & carne ipſum unqvam relictum. Fibulam inſuper ex Acia factam apertè tradit Celſus. Acia verò, ſi vel maximè filum eſſet ex metallo diductum, talis Hami officio nihilominus impar foret. Secus ſi exiſtimaſſet ille, qvorſum *Ferramenta* nomi-

L. 3. Ep. 18.

L. 4. Ep. 3.

L. 7. c. 12. Cap. 16.

nominasset *tenuia*: qvæ ipsi nihil aliud, qvàm instrumenta Chirurgo necessaria? Parum etiam adversus nos facit Gvidonis de Hamulis opinio, cui alibi obviam itum. Hoc saltem dissimulare neqveo, Celso nostro eum adscribi Fibulæ usum, qvem ipse nunqvam in literas retulit, qviqve ex ipsius verbis nullâ ratione potest colligi. De Fibula enim hæc
L.5.C.26. perscripta ejus verba sunt: *Si verò in carne vulnus est, hiatq́, neq́, in unum oræ facilè attrahuntur, Sutura qvidem aliena est. Imponendæ vero Fibulæ sunt* (Ἀγκτῆρας *Græci nominant*) *qvæ oras* (*paulum tamen*) *contrahant, qvò minùs lata postea cicatrix fit.* Et rursus; *Comprehendi verò Suturâ vel Fibulâ non cutem tantùm, sed aliqvid ex carne, ubi suberit hæc, oportebit, qvo valentiùs hæreat, neq́, cutem abrumpat.* Ut nihil dicam, ad Celsi mentem & antiqvorum frustrà usum provocari. Ingeniosè qvidem Paraphrastes, parum tamen ad Celsi mentem; nec sine difficultate à mora satis operosa: *Hæc fuit Fibularum sive Hamulorum impositio apud Celsum: ubi in carne vulnus erat, hiabatq́, neq́, in unum oræ facilè attrahebantur, unde Sutura aliena erat, Fibulæ vulneri imponebantur hoc modo: Altero Fibulæ unco* (*geminis enim constabat, incurvo altero, in formam literæ S productioris, & utrinq́, adunca*) *labrum alterum vulneris cum carne & cute prehendebatur ab intus à carne incipiendo. Reductâ deinde Fibulâ labrum oppositum altero unco corripiebatur ab extra, cutem priùs qvàm carnem mordendo. Sicq́, plagæ hiantis oræ, qvæ propter distantiam consui non poterant, revocatæ continebantur.* Sinceriùs Gvido in hanc arenam productus, cujus verba ex dictis repetenda veniunt.

Neqve

Neqve is multum alienus ab ea ſpecie, qvæ Hami extremum refert. Ad hanc propiùs efficta erat, qvam non ita multis abhinc annis in Theatrum Patavinum doctrinæ causâ proferebat V. Cl. Franciſcus Plazzonus Adriani Spigelii Collega, immaturo fato ſummæ exſpectationi ereptus, poſtqvam noſtri & prioris ævi operationes Chirurgicas freqventi coronâ παρελήλως inſtituiſſet. Cujusmodi & Magiſtrorum Pariſiis Hamuli, ipſorum lingvâ *Happes*. Qvos ut faciliùs excidere concedo cum Felice Platero ſubacti judicii Medico, niſi extrema fuerint in ſe probè adducta & obliqvata: ſic minori dolore labia vulneris ſtringere oſtendit planè figura ſimplicior alterâ, minusqve laborioſa. Nec tamen alii his aptiores videntur, qvi non diſſimiles S Latinorum longiori, qvanqvam uncis in diverſum utrinq; recurvis duplici ſemicirculo posſint firmiùs hærere. Longiuſculi enim, qvales omninò ſunt ad ſemicirculatorum formam, dum majorem occupant ſedem, oras vulneris vel maximi nunqvàm contrahent, niſi longiùs nec juxta fines iis inuncata cutis integra: qvod recenti exulceratione moleſtum, & dolore increſcente ex inflammatione noxium; qvem ejusmodi Fibulis à Ligatura compresſis omninò augeri certum eſt. Omitto, ſic parum glutinari oras, atqve in longum duci ſanationem. Qvæ incommoda licet tantopere à brevioribus exſpectari non poſſint; ii tamen, qvantulumcunqve demum fuerint introrſum flexi, ne ſuo qvidem vacant incommodo. Enimverò labra vulneris qvomodocunqve committant, nunqvam non id faciunt inæ-

qvaliter, ut reliqvi, dum parte sui inclinatâ, modicè intumescente seu leviter incurvâ, carnem comprimendo oppositam plagæ oram sinu exceptam cum deformi cicatricis inæqvalitate relaxabunt, contra Hippocratis decretum, qvi jubet τὴν σύστασιν ὁμαλῶς διὰ παντὸς ποιεῖσθαι, *concretionem æqvabilem per totum reddere.* Neqve huic vitio medicamentum, qvo plaga glutinetur, injectum ita remedio erit, ut ligatura tergus linamento tectum variè non impellat, & cicatricem inducat deformem: siqvidem filum id metallicum non convenit adeò subtile sive ita mollitum, ut qvaqva versum cedat, modò munere suo dextrè perfungi debeat. Commodiorem itaqve figuram Hamulis præbere vetustum Sigma Græcorum ad similitudinem literæ C ab utroqve latere lunatum, conjectura fortassis haut usqve inanis erit: licet Viri Antiqvitatis notitiâ clarissimi se tales rariùs vidisse referant. Qvibus etiam libens assentior: qvandoqvidem isti non de alia, qvàm Vestiaria, intelligi debent Fibula; circa qvam omnis fermè Philologorum cura versatur. Ejus verò characteris freqventiâ insignis adhuc Ravennæ ad D. Vitalis Ædem loculus è marmore candidissimo Isaci Exarchi elogiis Jambico trimetro illustratus conspicitur. Qvem primæ apud Græcos ætatis etsi non dixerim, qvum diversam ejusdem literæ speciem, præter varias statuas atqve tabulas, præbeat Numus argenteus ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ titulo celebris: illius tamen vetustatem non ignobilis notæ attestatur alter æneus in Pinacotheca Viri Consultis-

De Med.

Cels. L. 7. Cap. 19.

ſultiſſimi Joannis Galvani Profeſſoris Patavini, qvem paucis hactenus notum aliqvoties inſpicere licuit.



In teſſera pariter vitrea ludis ni fallor dicata, qvam Eqviti Puteano libens debeo, talis exſtat figura.



Et qvidem Conſtantini Imp. ætate hanc innotuiſſe locupletiſſimum præbet argumentum Publius Optatianus Porphyrius, qvi ejus ad C Latinum ſimilitudinem apertiſſimè declaravit. Verùm, & intra Romani Imperii translationem in Orientales plagas ejusmodi ſchema σιγμοειδὲς & ſemicirculare uſurpatum indicat Poeta ingenioſâ alluſione in Apophoretis:

— Lunatâ ſcriptum teſtudine ſigma

L.14. Ep.87. *Octo capit: veniat qvisqvis amicus erit.*

Nec minori lepôre Græcam ejus appellationem rei convenientiſſimæ aptavit idem.

L.10 Ep.48. *Septem Sigma capit. Sex ſumus, adde Lupum.*

Pro facultatum qvippe magnitudine conjecturâ Jo-
L. 3. Ep.281. ſephi Scaligeri id majus & minus fiebat; ut modò ſeptem, aliqvando octo, nonnumqvam plures caperet. Eamqve Sigmatis ſive ſemicircularis lecti antiqvitus fuiſſe effigiem menſis rotundis accommodatam, etiamnum Romæ in monumentis veterum paſſim conſpicuum eſt. Qvalis etiam in antiqviſſimo Bibliothecæ Vaticanæ Virgilio picta hodiè videtur. Antiqvitatem hujus tamen ſchematis vix auſim cum eruditiſſimo Fulvio Urſino ex remota ſatis
App. Tricl. iac. Athenæi memoria repetere. Qvamvis enim apud
Deipnoſop. Agathonem Tragicum in Telepho ibidem illitera-
L.10.C.20. tus qvidam Theſei Inſcriptionem declaraturus dicat,

Σκυθικῷ τε τόξῳ τρίτον ἦν προσεμφερές;

Scbytico arcui elementum tertium ſimile;

dubium nihilominus eſt, qvæ fuerit ejusmodi arcus figura. Nec ſine cauſa, qvum Theodoctes Phaſelites ibidem ruſticum literas neſcientem Theſei qvoqve nomen ſic deſignantem inducat:

Τρίτον δ' ἑλικτῷ βοστρύχῳ προσεμφερές.

Tertium capillo in cirrum retorto ſimile.

Paſtor etiam literarum imperitus in Theſeo Euripidis hoc modo:

Τρίτον

Τρίτον δὲ βόστρυχος τις ὡς ἑλιγμένος

Tertium capilli cirrus tanqvam advolutus.

Et post:

Τὸ λοίσθιον δὲ τῷ τρίτῳ προσεμφερές.

Ultimum est omnino tertio simile.

Cujus ratio qvanqvam nobis obscurior, Casaubonus tamen summi vir judicii nec ulli Græcanicarum literarum peritiâ secundus priorem Σ figuram ad Libri oram retinuit: qvam ab arcu diversam nemo non agnoscit, qvidqvid summis viris Justo Lipsio *De Pron.* & Josepho Scaligero placuerit; nisi angulis obtusio- *Ling. Lat.* ribus velimus, aut in longum extensam: qvalem *Cap. 18.* refert apud Joa. Galvanum Numus argenteus clavâ *ad Euseb.* spoliisqve Herculis nobilitatus. Neutra tamen ad





rem nostram. Qvanqvam verò libenter largior magno Lipsio, sigma flexile obtinuisse primùm, & post iterum evicisse; semiorbiculatum medii duntaxat: ratio tamen nulla est cur Scythicum arcum Σ schemate credam, etiamsi in uno crinium anulo sive statione cincinnus Poetæ *ἑλιγμένος*, hoc est, flexilis ac tortuosus, seu per gradus multiplex, ut in vitium capreolo, qvi Varroni est intortus, ut cin- *De re rust.* cinnus. Qvi namqve in capite elegantissimæ statuæ *L. 1. C. 31.* marmoreo apud Hieronymum Gvaldum veluti fluctuantes conspiciuntur sinus, Martiali non ineptè *L. 2. Ep. 66*

Lib, 22. *comarum anulus*, ab arcu Schytico nihil habent alienum, si Ammiano Marcellino scriptori diligenti credendum: *Qvum arcus omnium gentium flexis curventur bastilibus, Scythici soli vel Parthici, circumductis utrinq; introrsus pandis & patulis cornibus, effigiem lunæ decrescentis ostendunt, medietatem rectâ & rotunda regulâ dividente.* Figuram ejus eleganter insinuavit Poeta:

Æn, 3. *Portus ab Eoo fluctu curvatur in arcum.*

Et apertiùs de Ponto Sallustius: *speciem efficit Scythici arcus.* Agathonem etiam de C litera in pererudita Virgilii cum Græcis collatione inter Antiqvitatum investigatores primus fermè Fulvius Ursinus intellexit. Qvidqvid sit, tantum abest, alterutram sive Latinè sive Græcè formatam admittant Chirurgiæ Professores, qvin maximè damnent. Jam enim ipsorum cautelâ constitutum est, evitandi doloris causâ Suturam unicâ labii utriusqve perforatione expediendam; qvandoqvidem, Hippocratis consilio, *id* De Med. *qvod dolorem facit qvam minimo tempore adesse debet:* qvod neutro modo fieri posse, vel solius oculi arbitrio clarum est. Etsi verò per Acus inter subtiles crassasq; medio loco positas, qvibus filum utrinq; inter- Chir. P. 2. Cap. 86. tum, id facilius videatur; earum tamen cum Albucasi extremitates præcidere non minùs fuerit operosum, qvàm Fabricii ab Aqvapendente more easdem intorqvere; qvandoqvidem illæ qvoq; ipsius præcepto pulvillis suffulciendæ, donec unita fuerint vulneris labia: ad qvorum coalitionem satis esset aliàs acus filo duplo à duabus partibus in circuitu simul stringi. Ingenium etiam nonnulli in cassum fatigârunt excogitandis brevioribus hamulis minusqve curvatis,

sum-

ſummam cutem ſine perforatione mordentibus leviuſculè, ut noxæ obviarent, qvæ ab aliis hamis accidere conſvevit. Jam enim Celſi præcepto aliqvoties monui, qvod comprehendi oporteat non cutem tantùm, ſed aliqvid etiam ex carne, ubi ſuberit. Nec ea tamen vis eſt conſvetudinis, ut ab hac veritate qvenqvam removeat Celſi ævum, cujus in glutinandis vulneribus rationem ipſe protulit. Is enim qvamvis multa qvandoqve, ut in Oculorum vitiis, tradat manu difficilia, imò crudelia; ea tamen obſoleta, atqve ex aliena interdum ſententia, proponuntur, qvam ſcriptor diligens præterire noluit: ſua verò dum tradit, circa plagas præcipuè magni Hippocratis veſtigia ſtudiosè premit. Hujus veluti omnis Medicinæ parentis induſtriâ magis, qvàm à prioribus exculta, & florente Republicâ Romanâ poſtmodum à bonis ingeniis aucta ſatis, atqve ab aliis Medicinæ partibus ſeparata, qvum in mitiora Celſi tempora circa annum Chriſti 29. incidiſſet Chirurgia, imperante Tiberio, qvi Auguſti judicio ταῖς μύταις ϛρατηγῶν: claros utiqve ſcientiæ famâ Profeſſores, diligentiſſimum Philoxenum, Gorgiam, Soſtratum, Hieronem, utrumqve Apollonium, Ammonium Alexandrinum, Tryphonem, Euelpiſtum, eruditiſſimumqve Megetem, emendandis augendisqve Artis inſtitutis fruſtra deſudaſſe abſonum foret. Qvanqvam verò ea initio rudis, ſuis tamen primordiis vicina non minùs erat ſufficiens, qvàm ſimplex, depromta ex iis, qvæ maximè occurrebant. Linum verò tortum inventione ac uſu familiarius fuiſſe filo ex metallis laboriosè tenuato, loqvi-

Svet. Tib. Cap. 21.

qvitur res ipsa, svadetqve ætas illa simplicior & fortuitis contenta,

— — *qvum frigida parvas*
Præberet spelunca domos. — —

Adjicitur his, qvòd genus mortalium inter initia non facilè se ferro committebat, ut eleganter in sui ad Julium Callistum operis Proloqvio Scribonius Largus. Qvod si verò asperiora interdum occurrant veterum auxilia; ea plerunqve servis adhibebantur, qvorum valetudini qvævis tormenti genera, ut hodie jumentis, tentata novimus. Et qvid omnium, qvos habemus, Medicorum post Hippocratem antiqvissimus sine Magistri autoritate novam sibi rationem excogitasset? Qvid in eam studio peccasset medendi legem, qvam ab Asclepiade acceptam divulgavit ipse, omnesqve post
L. 3. C. 4. Medicorum Sectæ in hunc usqve diem propagârunt unanimes: *Officium Medici esse, ut tutò, ut celeriter, ut jucundè curet.* Simplicissimas qvidem operationes, ut maximè artificiosas & certiores, laudant Chymici: Anatomicum inter cetera commendant ferramentorum compendia: qvidni manu medentem expedita & tuta facilitas? Qvam si popularem nimis cogitet qvispiam, nec medicâ satis elegantiâ comitatam, qvæso advertat, qvòd Medicus hic Artem non tantùm ducat à ratione, sed à sensibus etiam, qvorum indicio, qvid juvet, qvid noceat,
Prud. Per. Hymn. 10. certior erit. Chirurgos autem Carnificibus à Poeta Christiano comparatos nihil Professionis existimationi detrahit. Neq; enim exerceri ea potest, nisi

Medi-

Medicus pro rei necesſitate ſit immiſericors, & perinde faciat omnia, ac ſi nullus ex vagitibus alterius affectus oriatur. Verùm, neq; ille ex ſui tantum ſeculi conſvetudine, ſed artificioſâ Romani martyris Proſopopoeiâ, gravisſimi etiam doloris tolerantiam expreſſurus, per Extenuationem tortoris immanitatem medentium manu qvocunqve tempore nihilo ſæviorem fingit. Totus autem inventionis labor in eo eſt, ut clarâ oratione Martyris conſtantiam παθητικῶς figuret, additâ exaggeratione graphicâ per alluſionem ad priſci ævi Lanienam; qvam Hippocraticam dicere libuit, ut ſcienter non tam Artis Medicæ, maximeqve ejus qvæ manu perficitur, excellentiam, qvàm originem tangeret. Idqve ſine Antichroniſmi vitio, licentiâ ſtyli iſti ſcriptorum generi concesſâ; qvibus non ſecus ac pictoribus aliqvid venuſtatis conciliat rituum vetuſtas. Unde & ipſe hac Prolepſi Narrationem orditur: *ut refert antiqvitas.* Affectum itaq; dum movere nititur, qvid hiſce acrius, aut animoſius: Cels. Proœ. Lib. 7.

Hoc omne, qvicqvid lancinamur, non dolet.

Et poſt:

—— membra parvi pendo qvo pacto cadunt,
Caſura certè lege naturæ ſuæ.
Inſtat ruina, qvod reſolvendum eſt ruat.

Qvid pio animo firmius?

Hoc perdo ſolum, qvod peribit omnibus.

Nec tamen Chirurgorum hic aſperitatem magis inſectatur, qvàm alium qvemvis ex morbo corporis

dolorem, cui carnificum minifteria poftponit. Sic enim pergit.

Nec diftat, ignis, & fidiculæ fæviant,
An corpus ægrum langvor afper torqveat,
Qvum fæpè morbos major armet fævitia.

Atqve hac occafione enumeratis ad Amplificationem diverfis Ægritudinum fpeciebus, tandem ad eas proximè tranfiens, qvæ manum poftulant, hæc fubdit:

Horretis omnes hafce carnificum manus.
Num mitiores funt manus Medentium,
Laniena qvando fævit Hippocratica?
Vivum fecatur vifcus, & recens cruor
Scalpella tingit, dum putredo abraditur.

Suam verò magni protinus judicii mentem Correctione explicat, qvò fimul ad Martyrii fructum fibi gradum faciat.

Putatur ferrum trifte Chirurgus meis
Inferre coftis, qvod fecat falubriter.
Non eft amarum, qvo reformatur falus.

Moxqve Caufam reddit.

Qvis nefcit autem qvanta corruptela fit
Contaminatæ carnis ac folubilis?

Lictorem itaqve ad præconium, non ad criminationem, à falutari effectu Poëtarum Chriftianorum prudentiffimus hac Apoftrophe confert cum Chirurgo, qvem Plinius Valerianus *Carnificem Medicum* appellat: *De re Med. L. 1. C. 56.*

Medere qvæfo carnifex tantis malis,
Concide, carpe fomitem peccaminum,

Fac

Fac ut resecto debilis carnis situ
Dolore ab omni mens superſit libera,

Sic *homo*, ut ſcitè Julius Firmicus, *receptâ ſanitate & ſalute ſibi redditâ, qvidqvid ægrotantis corporis vitio invitus paſſus eſt, hoc totum pro utilitate ſua factum eſſe ſtantis animi judicio confitetur*: adeoqve *horrorem operis fructus excuſat, & martyria deſæviunt in ſalutem*, veriſſima Tertulliani ſententia. Nec verò ſoli apud antiqvos malè audiebant Chirurgi, qvos à Medicis Romæ ſeparatos apertè tradidit Galenus. Aſclepiadem memorat Celſus etiam primis diebus luce, vigiliâ, ſiti ingenti convellendo ægri vires tortoris vicem exhibuiſſe. Attamen hunc ipſum *multarum rerum, qvas idem ſecutus, Autorem bonum* fatetur; & Scribonius Largus in nuncupatione ſui Operis ad Jul. Calliſtum appellat maximum Medicinæ autorem; H. Mercurialis teſtatur commendatum ab omnibus, qvamvis novorum dogmatum fuerit inventor. Qvin primum crudelitatem veterum Medicorum mitigaſſe perhibet nobilis ille Patavinorum Alexicacos Hercules Saxonia: ſummamqve ei fuiſſe famam relato è funere homine & ſervato Plinius ſcribit. *Certè qvidem jacenti homini ac propè depoſito vitam attulit: confeſtimq; animam in corporis latibulis deliteſcentem qvibusdam medicamentis provocavit.* Sed Apoplexiâ fortaſſis infeſtato: qvem, ut ait Celſus, vivere intellexit, & à mortuo dignoverat Artis peritiâ, veluti rectè eruditiſſimus Mercurialis ſuſpicatur. Cetera prudens mitto qvæ prolixè atqve eleganter Apulejus recenſet. Nihil igitur ex

De er. prof. Relig. — *Scorp. C. 5.* — *Meth. Me. L. 6. C. poſt* — *L. 3. C. 4.* — *L. 4. C. 4.* — *Pract. L. 3. C. 2. & 8.* — *De Phœn. Præf. L. 1.* — *Nat. Hiſt. L. 7. C. 37* — *L. 2. C. 6.* — *Pract. L. 1. Cap. 19.* — *Flor. L. 3.*

Poëta colligere licet præter declarationem; qvam non esse probationem jam inter eruditos convenit.

Cap. XII.

Vera de Fibula Chirurgorum sententia ex Corn. CELSO profertur.

SEd qvid singula consector? Nolo hic refellere diutiùs, aut in re manifesta hærere. Censeamus ita esse, qvemadmodum sentimus ad fidem optimorum codicum Celsum de Ramicis curatione exprimere mentem suam apertissimè: *FIBULÆ oris sic injiciendæ, ut simul eas qvoq; venas comprehendant. Id hoc modo fit: Acus ab exteriore parte oram vulneris perforat. Tum non per ipsam venam, sed per membranam ejus immittitur, per eamq; in alteram oram compellitur. Venæ vulnerari non debent, ne sangvinem fundant. Membrana semper inter has venas est, ac neq; periculum adfert, & filo comprehensas illas abundè tenet. Itaq; etiam satis est duas fibulas esse.* Viden', ut Filum acu per oras trajectum, intercedente membrana abundè illas tenendo, nominatim Fibulæ munus expleat? Filum verò, qvod apud Celsum, qvemadmodum Acia, Fibulæ Materia est, ipsi eadem ratione ubiqve Linum esse, ex dictis notius est, qvàm ut hic probem. Hoc tantùm adjicio, qvæ *Lina* dixit, mox, idqve iteratò, *Fila* vocari. Sic enim de Sutura: *Et qvidem duobus linis vincienda est spissior.* Et paucis intermissis: *Igitur in duabus acubus fila trajicienda.* Deinde sub finem: *Post hæc eadem fila eademq; acus ad cutem transferenda.* Ex præcepto nempe de Vinculi

L. 7. C. 22.

L. 7. C. 14. & 16.

culi Materiæ Conclusio æqvivalentibus vocabulis continuata infertur. Itemqve *fili capita inter se deligantur*. Id certum est; *Perforare* idem hîc significare, qvod Celso alibi, *acu corpus transuere:* qvo transitus seu integra notatur penetratio, qvum Acus & Fili utrobiqe fiat mentio. Idqve Galeno κατὰ θῆξιν jure diximus, qvum non desint, qvibus θήγω est *acum transfigo*. Verbum hoc elegantissimum in suam sententiam scitè traxit Ovidius: *verubus transsuta saligni*. Unde in Pinelli etiam Codice manu Pauli Aicardi vulgatæ lectionis loco fuit repositum, *transit*. Qvâ ratione cum membranis Mediolanensibus & MS. Societatis Tolentinorum Venetiis legit qvoqve Vesalius, *transivit*; ac incertus qvidam reposuit ad meum Codicem Mediolanensem Anni 1481. Qvod pari modo retinuit Editio Veneta Anni 1493. post primam Anni 1478. Florentinam, qvæ calamo exaratis vicinior; nec Joannes Cajus qvidqvam hîc immutare ausus fuit, qvum priùs nescio qvid huic verbo attentasset; qvemadmodum detersâ, qvam priori lectioni induxerat, liturâ etiamnum patet in autographis ipsius emendationibus, qvas Illustrissimo CHRISTIANO FRISIO, primo literarum fautori, gratus debeo. Nulla tamen hinc metuenda confusionis suspicio. Jam enim distinctus à Fibula simplicis Suturæ usus suo loco abundè monstratus fuit. Veruntamen perspicacissimis etiam Celsi verbis, ad uberiorem veritatis investigationem, aliqvantisper insistere juvat. *Fibulæ oris sic injiciendæ, ut simul eas qvoq; venas comprehendant*. Perdifficile hoc qvidem futurum, si Fibula Hamus sit ferreus: qvanqvam

L. ej. C. 26.

L. 5. C. 26.

Jan. Cornar. in Gal. de comp. med. sec. loca. L. 2. C. 2.

Fast. Lib. 2.

nec apud Celsum ulla mentio Hami, ubi Suturæ ac
L. 4. C. 1. Fibulæ materia tractatur. Venæ scilicet istæ Vasa
sunt spermatica, ut *Vena alba* Autori nostro Urete-
L. 7. C. 22. res, Aristoteli περὶ ἀναιμοι colore ipso à *Nervo*, id est,
De Part Anim. L. 3. C. 9 Cremastere distinctæ. Qvas profundè sitas neqve
pertingent ejusmodi Unci, etiam id providente Cel-
L. 7. C. 1. so, dum ait, *in sinu exciso Fibulam oris cutis injicien-
dam.* Qvin, ut monet ibidem, *si Fistula abdominis
intus patuit, excisa necesse est latius foramen relinqvat,
qvod nisi magnâ vi utiq; ab interiore parte sui non potest.
Sed ubi aliqvis ingredi ac moveri cepit, rumpitur Sutura,*
L. 5. C. 26. *atq; intestina solvuntur. Neutra* verò (Fibula & Sutura)
teste eodem *vim ullam desiderat: sed eatenus utilis est, qvâ*
L. 7. C. 9. *cutis ducentem qvasi suâ sponte subseqvitur.* Qvod ipsum
Curtorum Chirurgiâ exempli loco manifestius o-
stendit: *non vi cogendum est, sed ita adducendum, ut
ex facili subseqvatur, & demissum non multum recedat.*
Eademqve de causa nec ii, ad ipsius præscriptum,
venas cum plagæ oris commode unient sine labore
L. cit. C. 12. ac dolore penetrando earum membranam; qvam
idem scribit tenuem, nervosam, sine sangvine albam,
contegere binas venas & arterias cum cremasteribus
descendentes. Alteram verò, qvæ inter venas est,
qvum fulcri loco ponat, duæ etiam fibulæ sufficient:
Cap. 19. qvaliter ipse affirmat, *plagæ injiciendas duas fibulas.*
Neqve ullo hic opus est metallo, siqvidem mem-
brana fili adminiculo vasa abundè tenet. Idem
L. 3. de Com. Med sec. Gen. igitur de Fibula hoc loco statuendum videtur, qvod
de Sutura alteriori in declinandis tendinibus monet
Galenus, qvodqve in venis cum carne uniendis post
Meth. Med. L. 6. C. 5. Galenum Guido, ac in Nervis itidem Tagaultius
præ-

prçcipit: ne, hiante admodũ vulnere, qvç in imo sunt, non glutinata dehiscant. At nimis evidens reclamat apud Celsum Fibulæ nomenclatio. Agedum, esto Fibula. Sed ex Acu & Filo composita. Cujusmodi si qvis negaverit Celso fuisse omnem; qvin prorsùs Metallicam velit: ubi talem apud eundem scriptorem semper offenderit, libens manum dabo, nec mihi turpe erit cum re mutasse consilium. Nec me multum movet doctissimi cujusdam Viri sententia; *qvòd Acus in parte vulnerata relictæ eam graviter afficiant, non facere, qvò minùs illâ usi sint veteres, aut uti nos possimus, qvum multa Remedia sint, qvæ simpliciter incommoda & toleratu gravia sunt, qvæ ad finem collata & fructum, qvi ex iis ducitur, grata sunt & optabilia.* Etsi enim qvidvis sanitatis causâ subeundum, cujus pars est velle sanari: semper tamen cogitandum Lyrici illud:

Tr. 3. Doct. 1. Cap. 3. Chir. Inst. L. 2. C. 13.

Fab. Pac. in Meth. Med. Gal. L. 3 C. 4

Sen. Hip.

> χρὴ μαλακὰν χεῖρα προσ-
> βάλλοντα τρώμαν ἕλκεος ἀμφιπολεῖν.

Pind. Pyth. Od. 4. κῶλ. ιγ. ἔπω.

Oportet mollem manum adhibentem os ulceris tractare. Frustrà qvippe excarnificatur æger, qvando mitiori ingenio aliqvid exseqvi licet. Egregiè Vindicianus Archiatrorum Comes & Octavii Horatiani Magister in sua ad Valentinianum Imperatorum Epistola: *Fidem nostris Autoribus adhibentes, non credamus qvibuscunq; Medicinis, nec vulnus vulneri superponendum putemus: sed ægris remedium porrigendum esse credamus, ut neq; gravibus tormentis, neq; intolerabili Medicinæ curatione crucientur.* Et qvomodo ista conveniunt cum Galeno, qvi loco suprà memorato Fibu-

Oct. Hor. Rei. Med. L. 4. ad Euseb. fil.

Iam usu comparat cum Sutura admodum minima: qvam valdè dolorificam esse nulla admittit ratio? Imò Vid. Vidius autor est, Fibulam minori deformitatis metu faciei vulneribus injici, qvam Suturam. Sed qvod magis est, declinante cum imperio sermone Romano, extra Medicum qvoqve usum Fibula Suturam significat. Sic enim apud Cælium Apicium, qvisqvis fuerit, adulatricis Medicinæ artificem, *Lumbuli consuuntur.* Idemq; apertiùs præcipit: *Farcies glires, & sutos in tegulam* (edit. Tigur. Humelberg. *tegula*) *positos mittes in furnum.* Qvo sensu alibi dixit. *Porcellum præduratum implebis, fibulabis in sportella, fervents ollæ submittes, cocto fibulas tolles.* His verò qvid manifestius? Cupedinarii identidem nostri qvotidianis exemplis abundè satis ostendunt, merum fuisse linum acu tractum, qvo fartum stringebatur. Sed qvid Latinos aut Græcos, qvibus humanæ valetudinis cura incumbit, ultrà testor? Duris etiam assveti remediis, qvi jumentis manu auxiliantur, hîc sese mitiores præbent. Sic enim Absyrtus Constantini temporibus, ut autor Suidas, Medicinæ Veterinariæ scriptor, ubi de Castratione Eqvorum. ἐπιθήσεις περόνας λινᾶς, ἢ καννάβινας παρ' ἑκάτερον δύο: *Impones duas utrinq; Fibulas lineas, aut cannabinas.* Idemqve de Humana castratione sentire videtur Brunus, dum jubet *Sui vulnus.* Rogerius in Herniæ Carnosæ curatione clariùs: *Oscheum suitur.* ὄσχεον *Græci*, ait Celsus, *Scrotum nostri vocant.* Harum verò formam ac vetustatem declaravit Albucasis de Cur. Ramicis cum vite: *Fige in vasis acum, in qua sit filum duplum*, &c. Deinde *Accipe acum, in qua sit filum primum*,

Chir. L. 4. Cap. 1.

De re culin. L. 7. C. 8. Lib. 8. Cap. 9. & 7.

L. 2. C. 98.

Chir. Mag. L. 2. C. 12. Chir C. 40. L. 7. C. 18. Chir. P. 2. Cap. 64.

grossum, factum licinium ex decem filis. Tum de Mollificat. cutis Testicul. *Aggrega duo labia cum Sutura.* Cap. 68. Et mox: *sue tribus suturis, aut qvatuor.* Rationem optimè attulit Celsus: *neq; paucis, ne parum glutinentur, & longior fiat curatio: ne inflammationem augeant.* L.C.7.19. Nec ab his discedit Ægineta de Leonide in L.6. C.67. Scroti laxatione: *ῥαφαῖς ἐζύγε τὰ χείλη, vulneris oras Suturis committebat.* Et Celsus ipse: *oræ scroti Suturis inter se committendæ.* Loc. cit. Has autem eidem fuisse Fibulas patet, qvando addit: *ubi fibulæ sunt, hæ incidendæ.* Cui opinioni adest Eros, vulgo Trotula, Andreæ Tiraqvillo Salernitana, sine dubio corruptè pro Erojulia, ut cum Morillono suspicatur H. Junius; vel Eros Juliæ, sicut in veteri monumento: EROS AUGUSTÆ MEDICUS SPOSIANUS. *Rupturam inter anum & vulvam tribus locis vel qvatuor suimus.* De Pass. Mul. C.20. De Nob. C. 31.n.352. Animad.L. 6. Cap. 1. Gruter. 581. 4. Qvòd Celsus autem Scroto Suturam Fibulæ titulo præscripserit, id cuivis vulneri optimè convenit, Hippocratis imitatione; qvi brevitatis studio uno exemplo qvid agendum in memoriam revocat.

CAP. XIII.

CELSI doctrina Rationibus stabilitur: Aciæ Materia innotescit.

QVandoqvidem igitur meliorum omnis ætatis Scriptorum hîc denso agmine à nobis stat consensus unanimis, qvorum suffragiis tota lis dirimenda; si qvis unius seqvitur sententiam, nonne

injuriam infert ceteris? Tantine adversa unius Gvid. Cauliaci sententia, ut animum abducat à veritate, qvæ in omnem partem sui semper eadem est? Absit credam eruditorum qvemqvam tam imbecillis ingenii, ut seriò ei aures præbuerit; sed qvod ingenuè profitentur qvidam, amici & animi gratiâ ingenio lusisse. Hi tamen affectui nunqvam sic indulserunt, ut non veritatem in pectore foverint, qvæ remoto verborum involucro facilè in lucem producetur. Enimverò, si Sutura, ejusq; pars ipsa Acia, ex aliorum sententia veteribus fuit metallica, qvòd Fibula talis esset; eæ profectò ejusdem cum Fibula ordinis erunt: Fibulæ verò Chirurgicæ nullam esse cum metallo affinitatem, satis superq; monstratum hactenus. Deinde, si ipsorum etiam confessione eadem Suturæ Fibulæq; Materia, qvæ est Aciæ, unde utraq; composita; jamq; Aciam olim fuisse Linum seu Filum intortum cum Celso plures omnesq; ferè Doctores unâ mente sanciunt, rationi utiq; consonum erit, non magis Fibulam Chirurgorum, qvàm Suturam fuisse Metallicam: qvum oppositorum uno posito reliqva tollantur. Aciam verò omnem non fuisse ex metallo, vel hinc liqvet, qvòd necdum ab ullo sine Principii petitione ex Aciâ probatum fuerit, Celsi temporibus Suturam filo metallico confectam, sed lino sæpè, imò semper. Præterea, qvum Fibula Suturæ sit materiâ consimilis, nec ulla apud priscos melioris notæ Græcos aut Latinos Medicos Sutura ex filo metallico imperetur; utraq; à metalli consortio æqvè abest; neqve Fibula Vulneraria & Sutura cum Acia erit metallica;

sed

ſed Acia ratione uſus, qvem Celſus patefecit, de Lino intelligenda erit. Suturam enim, qvæ acu & lino ſeu filo circumſcribitur, ex Acia molli optimam pronunciavit Autor ſagaciſſimus. Neqve tamen in transverſum agit iteratus toties Fibulæ morſus. Siqvidem & Linum mordere faſſus ipſe. Ut neqve abſurdum inde fuerit, Linum Fibulæ partem confeciſſe. Qvam ſi ex metallo concinnandam is putaſſet, citiùs cutem ruptum iri, qvàm illam nimis raram non continere, veritus fuiſſet. Imò ne Infibulatio qvidem peracta ſine prævia fili ope: qvod metallicum non fuiſſe indicat diſtincta Fibulæ Comicæ mentio, cujus materiam hîc repetere ſupervacuum eſt. Celſus igitur, ut ſuſpicantur eruditiſſimi viri, Ludovicus Septalius, & Gaſpar Hofmannus, Fibulæ nomine neqvaqvam Glutinum intellexit. Hoc enim (qvod in Glutinatione Vulnerum exigit ille) nihil ex carne comprehendit, minusqve venas, qvod in Ramicis Curatione neceſſarium; qvum extrema tantùm id cute hæreat, corporiqve mitiùs inſidat. Neqve cutem hîc tranſit acus: qvum Glutinari, & Acu trajici apud diligentisſimum ſcriptorem diverſa ſint diſertisſimis ipſius verbis: *Si Cartilago eo qvod inciſum eſt eminet, excidenda eſt. Neq; enim aut glutinatur, aut acu trajicitur.* Glutinari itaqve nihil aliud eſt, qvàm coire, ac uniri. Hoc autem Glutinantium Medicamentorum beneficio, atqve in primis Emplaſtri ſpecie, efficitur: à qvibus diſtinctum omnino Glutinis uſum Celſus tradidit. Isq; in vulneribus muſculorum præcipue obſervandus in delicatioribus; qvandoqvidem glutinum

[Margin notes: L.5.C.26. — L.7.C.25. — *Anim.* Lib. 8. Obſ. 35. — Poſtcur. l.c. — L.5.C.26. L.7.C.22. — L.7.C.9. — L.5.C.26. — L.7.C.7. 16. & 27. — L.7.C.2. 48. & 17. — L.d.C.7.]

nimis adſtringit, eventilationem impedit, adeoq́; calorem adfert. Laxiori tamen ſignificatu idem Glutinare vulnus, tum Suturæ, tum Fibulæ tribuit. Sed nec Vinculum Glutino adhibitum, qvemadmodum in Sutura & Fibula, unqvam mordet, qvandoqvidem interjacent pittacia: eandemqve ob cauſam parum refert, ſitne Acia nimis torta; qvalem in Sutura & Fibula unicè vitandam monet. Nec (qvi Celſi metus) vehementer officit, aut cutem abrumpit: qvoniam acus corpus non tranſit. Sed nec alia inter Fibulam & Glutinum proportio magis conſpicua eſt, qvàm hæc potiſſimùm, qvòd Glutinum vulnus patiatur eſſe latius. Qvæ tamen proprietas admodum communis. Nec ſanè id contingit, qvòd laxatis filis totum vulnus aperiatur, ſed ob punctorum diſtantiam. Secus enim, qvum Suturæ ad majorem vulneris unionem qvotidiè non ſolvantur, ſed per aliqvot dierum intervalla, à congeſta tantiſper concluſi puris copia & acrimonia per moram contracta, glutinatio tardior foret. Glutino qvidem, ob communem uniendi rationem, Fibulæ ſimilitudinem non denego. Celſi nihilominus aliam fuiſſe mentem, ex iis qvæ paſſim dixi exploratiſſimum eſt: fatentibus id ipſum etiam novæ opinionis autoribus, dum ſuæ rationi ex Acia ubiq́; fidem præſtruunt. Qvid plura?

Pind. Nem. Od. 7.

ἰυώνυμον ἐς δίκαν
τρία ἔπεα διαρκέσει.
Honeſtam ad cauſam
tria verba ſufficient.

CAP.

CAP. XIV.

De ACIA communis Doctorum sententia recensetur.

ACriori potiùs examine pensitanda nunc venit opinio, qvam Eruditorum judicio suppressam è Gvidonis cineribus excitavit nuper Alphonsus Nunnez summæ peritiæ Archiater, qvi Acum, vel aliqvod Metallicum, ACIÆ nomine intelligit. Eam initio qvamvis non viderim, clariss. tamen Gabrielis Naudæi indicio ab eruditis nostri seculi viris satis speciosè propugnatam accepi hoc potissimùm fundamento, qvòd Aciam universæ disqvisitionis argumentum ex conseqventi Metallicum efficiant. Etenim qvoniam hujus sententiæ autores Fibulam cujuscunqve generis etiam Vulneribus dicatam, ætate Celsi ex metallo fabrefactam statuunt; Suturam atqve adeò Aciam ejusdem naturæ fuisse arbitrantur, qvòd utraqve non minus, qvàm Fibula, sit ex metallo. Cujus rationis momentum etsi minimè ignotum ex iis, qvæ de priscorum Fibula maximeqve de Vulneraria, ita perspicuè dicta sunt, ut ipsa etiam Acia nullo negotio inde satis innotescat: ad veritatis tamen notitiam, haud minori diligentiâ, qvàm hactenus Fibula pervestiganda porrò erit Acia. De hac qvidem nihil cogitasse accuratiùs medicos polyhistores, Mercurialem, Cagnatum, Talentonium, ceterosqve hujus literaturæ viros; imò nec ejus, præter R. Stephanum ac Turnebum, posteriores Etymographos distinctè meminisse, nulla mihi alia videtur causa, nisi qvòd ipsam ut Artificibus

notam, & appellatione Celſo qvidem cum paucis peculiarem, uſu verò communem reliqvis, ad diſputationem vocare noluerint, Galenum imitati; qvi judicat *de Nominibus neq; contendere honeſtum, neq; curioſum eſſe, ſed præſtare diverſitatibus rerum inſiſtere; in qvibus ſi qvid peccatur, ingens ægrotis damnum malumq; provenire.* Qvod verò Fabricius ab Aqvapendente præter Tornæſii editionem cum Cæſareo, Ronſſeo, & Hieronymo Rubeo, poſt Pantinum, apud Celſum pro ACIA legendum putaret *Acu*, qvemadmodum ſuâ qvoq; manu editioni adjecerat Rovillii, qvæ penes me eſt; id potiùs ab ingenio profectum, qvàm ullius libri antiqvioris vel calamo vel formis ſcripti adminiculo. Id qvod cum Tragaultio Veſalium qvoq; ſervatâ communi lectione animadvertiſſe credo. Veriſimile namqve fuit librarium lingvæ imperitiâ vocem ſibi ignotam in faciliorem magisqve familiarem mutaſſe. Nullum tamen emendationis in vetuſtis Codicibus M. SS. exſtat veſtigium: cujusmodi in vetuſtiori Florentino eraſis prioribus literis non rarò deprehendi. Nihil ergò favet ei corrupta Celſi lectio, qvam priſtino ſermonis vigori aſſerunt meliora volumina, in primis Magni Ducis Hetruriæ, in D. Laurentii Bibliotheca Medicea Florentiæ repoſitum: in qvo ut in reliqvis omnibus ACIA legitur. Laurembergio tamen *Aſia* qvoqve apud veteres occurrit. *Aciam* verò apud P. Vegetium, qvam in ora libri Joannes Sambucus retinuit, meo judicio rectè mutaverit Lector in *Acaciam.* Nec fortasſis multum à vero alienum erit, vocem hanc veteribus Romanis popularem ab elegantio-

De Simpl. facul. L. 5. Cap. 5.

L. 5. C. 26.

Chir. Mag. L. 3. C. 8.

gantiori ſermone diſtinctam, vel ſi mavis planè Italicam, confluentibus ex diverſis locis in Urbem multis inqvinatè loqventibus per ſervos primitùs medentes irrepſiſſe, ac poſtmodum neglectâ ad Latinæ majeſtatem lingvâ Volſcâ, Sabinâ, Hetruſcâ, ob ſingularem uſum permanſiſſe. Qvo modo, qvæ Apulejo Itala, nobis penitùs Latina ſunt ſtirpium Synonyma: qvòd, ipſe cum Qvintiliano forſan pleraqve Italica, ſive vulgaria, pro Romanis habuerit: inter qvæ tamen idem Romana qvædam nominatim recenſet, qvæ hodiè pro Latinis non agnoſcuntur. Sic Varronis ætate Mediolanenſes vitium in arboribus Traduces vocabant *Opulos*: Jugum verò in vineis, diverſis nominibus omnibusqve Latinis appellabatur: *Pertica* ſcilicet in Falerno; *Arundo* in Arpino; *Reſtes* in Brundiſino; *Vites* in Mediolanenſi. Imò, qvæ olim Gallica, nobis planè Latina, ex Dioſcoride perſpicuum eſt. Annitendum qvidem ut vox planè Romana videatur, non civitate donata: hujùs tamen generis etiam hodiè apud caſtigatiores Latini ſermonis ſcriptores non paucæ ſunt; maximè verò in eorum numero, qvos poſtremæ inter antiqvos ætatis deprehendimus. Ita Cælius Apicius: *Qvum cocta fuerit, ſavano calido involves gruem*. Hæc autem veteribus in delitiis erat. Marcellus: *Radices betæ maximè nigræ ex aqva tepida lavabis, & expreſſas ſabano ſiccabis*. Item: *Anſerem elixum ferventem ſavano mundo exſiccabis*. Cujus mentem nemo aſſeqvetur, niſi Hiſpanicæ lingvæ peritus, qvâ *Savana* linteum, aut mappam, ſeu pannum ex G. Humelbergii ſententia aſperum abſtergentem, qvem craſſum interpreta-

De Herb. vir. C. 2. 3. 5. 7. 28.
Inſtit. Or. L. 1. C. 5.
Rei Ruſt. L. 1. C. 8, & 77.
L. 1. C. 93.
De re cul. L. 6. C. 2. & 5.
De Medic. Cap. 8.
De re cult. L. 6. Cap. 5.

pretatur Janus Cornarius ad Cap. 5. Marcelli, denotat. Hispanorum verò est V pro B. nec rarò B in V mutatum, in Pandectis Florentinis. De qvarum li-
Var. Lect. terarum affinitate libellum Adamantii Martyris MS.
L. 2. C. 28. Lipsio visum desideramus. Alii namqve Latinorum seqvioris ævi *Sabanum* protulerunt; pariter Græci
De Ant. posteriores, atqve inter eos Nic. Myrepsus: nisi cum
Sect. 1. c. 190 Hesychio & Phavorino legendum fuerit σάγαθον. Sic in veteri saxo Romæ reperto DONUM PLACAVILE, pro *placabile*: Pisis etiam, BALEAS
L. 3. C. 30. pro *valeas*: Sabina Pl. Valer. *Savina*. BIBUS etiam pro *vivus* in prisco monumento. In alio Regii Brutiorum Pelbis pro *Pelvis*. Et in argenteo Trajani numo DANUVIUS; qvi posteris *Danubius*. Qvâ
L. 2. C. 9. ratione Theodorus Priscianus de dolore Colico, & Iliaco: *Si adbuc doloris molestia perseveraverit, phlebotomum adhibeo, perseverando tamen fricationibus, vel*
L. 2. C. 25. *sabanis calidis*. Ita Plinius Valerianus: *Cataplasma-*
& 17. *ti sabanum calidum impones*. Item: *tundes omnia in veteri sabateno calefacto*. Ubi dubio procul rescri-
L. 3. C. 1. bendum *sabaneto*, formâ diminutivi; qvâ idem ait:
De re rust. *teres in linteolo*. Palladius etiam Rutilius: *Mella con-*
L. 1. Tit 7. *ficimus congestis in mundissimum sabanum favis*. Item
Art. veter. P. Vegetius: *Sabanis validioribus abstergetur*. Inde
Lib. 3. Caroli Avantii viri pariter ingeniosi atqve eruditi
C. (47.) 50. non levis mihi visa est conjectura, illius Cælii, qvi libro forsan Apicii nomen præscripsit, patriam fuisse Hispaniam; unde facilè transvehi potuit in Megalonam insulam, ubi principio repertum ferunt. Apicio tamen illi nepotum omnium altissimo gurgiti, qvi Augusti ævo floruit, vix adscribendum

dum indicat oratio. Qvis verò ignorat, seqvioris ævi opera sæpe veterum loco habita? Hoc verò nomen recentioribus Græcis aliqvando usurpatum fuit ex alieno fonte, qvemadmodum Romanæ civitatis alia, qvorum mox qvædam exempla producentur. Adeo invaluit porrò in nationibus vocabulorum commutatio, ut apud Medicos Italos lingvâ calamoqve Latiali non prorsus incultos nihil voce *Petia* hodiè vulgariùs. Celsus tamen *Panniculum*, & cum Plinio *Linteolum*, dixit; ut Moschion Medicus Πάνιον. Sic Marianus Sanctus Barolitanus Italici sermonis indole *Bindam* vocavit, qvam Latini *Fasciam*. Qvaliter apud Riolanum sermonis Gallici idiotismo Sutura peletariorum, qvæ Gvidoni Cauliacensi, & Gerardo Cremonensi Albucasis interpreti pelliparíorum est; qvos Plautus pelliones nominavit. Qvin etiam plebejos elegantiori Romanorum sermoni Latino vulgarem olim permiscuisse, è Ciceronis Bruto liqvidum est. *Qvi si nonnunqvam offendunt, non est mirum: Etenim illi qvi primi nomina imposuerunt rebus, forsitan in qvibusdam sunt lapsi.* Absit itaqve læsæ Latinitatis reus agatur hoc nomine Celsus; qvandoqvidem nec alienis abstinuit ipse Hippocrates, cui libuit cum Remedio Scythis familiari Affectionis qvoqve nomenclaturam Græcâ urbanitate insignire, qvando diuturnam in Articulos fluxionem Κέδμα nominat, qvemadmodum benè ad Hollerii Praxin notavit Duretus: etiamsi Hippocratis autoritate Hesychio νόσος περὶ γεννητικὰ μόρια, & cum Galeno interprete Hippocratis optimo diuturna huic ipsi circa Articulos affectio. Qva potestate Phavo-

L. 6. C. 8. L. 2. C. 33. L. 22. C. 22. De Calc. res. extr. Cap. 13. Met. Par. Sect. 4. C. 10 Menæc. Act. 2. Sc. 3. Var. de ling. Lat. L. 7. L. 1. de Morb. In Enar. L. 1. Cap. 63. De Morb. Int. Sect. 5. Aph. 21.

Phavorinus notat, Psello κέδματα χρόνια ἀλγήματα. Nimirum, Hippocrates nomina qvædam aliqvo modo propria sibi fecit, vel transferens à consvetudine, vel figuram accommodans aliam; ut in Expositione obsoletarum Hippocratis Vocum monuit Galenus, Præceptorem in hoc imitatus non sine Se-

De Alim. fac. Lib. 2. Cap. 20. ctatorum exemplo, qvando verè Latina in Græciam intulit, ut dum Mala Armeniaca πρεκόκκια vocat;
L. 1. C. 165. qvæ clariùs Dioscorides Ῥωμαϊστὶ πραικόκια, *Latinè*
L. 13. Ep. 46. *Præcocia* dixit, vel qvod Saraceno cum Martiale ac
De re rust. Palladio Rutilio placuit *Præcoqva*. Ita Paulo Ægine-
L. 2. Tit. 16. tæ φοῦσκα *Posca*, seu *Pusca* Octavii Horatiani, sive
L. 12. Tit. 7. Theodori Prisciani, ut cum eruditioribus putat
L. 7. C. 4. Gregorius Gyraldus, itemqve P. Vegetii scriptione;
L. 1. C. 35. ῥούτη, *Ruta:* ne plura memorem. At sine notabili
Histor. Poët. Dial. 7. sermonis prodigio, ob literarum Mutarum ac Liqvidarum permutationem orationis harmoniæ fa-
Art. veterin. L. 1. C. 56. L. 2. C. 15. & passim. miliarem. Sed Romana etiam seu merè Latina à Græcis assumta, imò à peregrinis. Qvo more *Idus* apud Macrobium vox Tusca. Unde Acia Titinnii
Satur. l. 17. Comici apud Non. Marcellum in voce PHRYGIA VESTIS, Angeli Monosinii sententiâ iis nec injuriâ jungitur nominibus, qvæ veteribus Hetruscis debentur. Vocem hanc Italis adhuc Latinisqve antiqvioribus communem in Dictionariis Italicis Venutus exponit *Filo*; Josephus Laurentius in Amalthea Onomastica *Filum aciculæ;* Joan. Castronus in vetere M. S. il *Refe;* & post ipsum Petrus Galesinus, aliiqve Nomenclatores *Refe dell' accie, ò dell' aggugia,* item *Filo dell' Aco;* nostrâ ætate in Flaminia valet *Filo torto*. Nec Venetis ignota est *AZZA*, qvam vici-

vicini agreſtes nominant *Reve*, voce non multum diſſonâ Danicæ *Reeb*, qvæ reſtim notat. Angelus Monoſinius *Lino*, *Stoppo*, *Capecchio*, *ò Conape filata* reddit: diſſyllabum ait Pergaminus idemqve eſſe qvod *Mataſſa*; qvæ vulgo in Gallia Ciſalpina *Biſlo* nominatur, Inſubribus *Accia*. Verùm Boccatio hæc potiùs eſt fili congeries, qvàm filum ipſum; *una* *Labyrinth.* *matazza d' accia*; qvemadmodum Juſtiniano Imperatori, cui melior Juriſconſultorum pars adhæret, *Mataxa* (ſeu ut maluerunt præter Achmetis Arabis *Oneirocr.* C. interpretem Græcum, inter poſteriores Græcos Actu- 222. & 232. arius, Aetius, & Myrepſus Μέταξα, Joanni Leunclaio *metaxa*,) Lanæ, ſeu Lini, cum Lucilio apud Feſtum; qvam Theodori Priſciani Scholiaſtes ſericum exponit. Metaxa qvippe, veluti poſt Adr. Turnebum *Adv.* L. 20. notavit ad Feſtum Joſephus Scaliger, eſt σηρὰ, Linea Cap. 3. ſerici, non tamen cujusvis, ſed rudis, nondum in fila torti & experti cortinam, veluti Pandulpho Pra- *Archit.* L. 7. tejo, & Philandro ad Vitruvium, itemqve Brodæo Cap. 3. placuit. Turnebus tamen bolidis funiculum intelligit apud Lucilium. Sed iſta populo relinqvenda; *Miſcell.* L. 10. C. 20. qvi, ut probè Varro, in ſua poteſtate, ſinguli in illi- *De Ling.* us. Erudiriores ſi conſulis: Braſavolus in Galeni *Lat.* L. 8. Indice Aciæ vocabulo innuit Ῥάμμα, qvod ipſi *Filum* eſt. Neqve aliter in Definitionibus Medicis Joannes Gorræus, aut in Oeconomia Hippocratica *Chir* L. 2. Foeſius. Qvod Peccetio ſimiliter placuit. De qvo Cap 7. ſuo loco aptiùs. At qvoniam *vetus nomen investigandum per magnum otium*, cujus hìc non licet eſſe prodigis: cum Galeno *de Nominibus omnibus illud in universum pronuncio*, *nihil eruditum in medium adduci posse*. *De Alim. facult.* L. 2. Cap. 19. *De Sanit. ad Thraſ.* Cap. 32.

poſſe. Sed ab aliis res diſcenda eſt, cui nomen illud indiderunt. Qvod ſummâ ingenii ope dum nititur

Adv. L. 17. C. 21. & L. 27. C. 20. doctiſſimus Adr. Turebus, Ῥάμμα, è Lexico veteri Latino Græco *Aciam* exponens verbum hoc à Celſo uſurpatum notat. Qvis verò ejus fuerit repertor, nolo multum eſſe ſolicitus. Nec valdè ad rem. Celſum non fuiſſe veriſimile eſt, qvi, Fabio teſte, ab

Inſt. Ora. L. 8. C. 3. oratore verba fingi vetuit: jamqve longè ante ipſum

Id. Lib. 12. *Cap.* 11. eo uſum fuiſſe Titinnium palam eſt. Qvod non inconſultò retinuit ille, dignus qvem ſciſſe omnia

L. 8. C. 3. credamus. *Propriis enim verbis*, ut benè Fabius, *dignitatem dat Antiqvitas. Namq; & ſanctiorem & magis admirabilem faciunt orationem, qvibus non qvilibet fuerat uſurus.* Imò etiamſi *totus propè mutatus eſt ſermo: qvædam tamen adhuc vetera vetuſtate ipſa gratiùs nitent, qvædam etiam neceſſariò interim ſumuntur. Sed ita demum, ſi non appareat affectatio.* Qvan-

Inſt. Orat. L. 8. C. 3. doqvidem igitur, ex Qvintiliani mente, verba freqventer ab Autoribus jus ſumunt, præcipuè Medicis hìc fides adhibenda; è qvorum numero Bartholomæus Caſtellus, Joannis Bernardi Feliciani verſionem ſecutus, in Lexico Medico ait: *ACIA Hippo-*

Comm. 2. T. 7 *de Of. Med.* *crati Filum per foramen acus trajectum, qvo vel partes corporis diſſectas inter ſe committere, vel caput faſciæ ſubjectis partibus aſſuere conſvevimus.* Etſi verò mirandus Senex non Aciam, ſed Ῥάμμα appellat; Ῥάμμα tamen Aciæ vocabulo in Veteri Gloſſario Græ-

L. *d.* T. 10. co-Latino explicatur. Diſtinctiùs in Hippocratem, interprete Feliciano, Galenus ῥάμμα, id eſt, Aciam nominat illud, *qvod unà cum acu trajicitur, ſive linum id ſit, ſive lana, ſive qvippiam aliud.* Id verò Filum

pro-

propriè eſt, qvod ex lino lanâve trahendo ducitur. Unde Filum qvoqve Varroni, Columellæ, ac Martiali itemqve M. Vitruvio funiculus, *Linea* vocatur. Staminis nomine propoſuit Scribonius Largus, qvando glomum ſtaminis albi commendat. Nec diverſum ſentire videtur Varro, dum *Stamen* deducit à *Stando*: *qvòd eo ſtat omne in tela velamentum:* ut verè improbârit Joannes Paſſeratius vulgarem Lexicographorum gloſſam, qvi illud fili materiam putârunt. Fallopius magni judicii Medicus & Chirurgus dum ab his diſciſcere noluit, *Materia*, inqvit, *qvâ conficimus Fibulas, vel Suturas, eſt filum, Acia vocatur à Celſo.* Eademqve poteſtate Peccetius Fibulæ inſtrumentis Filum annumerat. Ex Acia ſerica porrò vincula fieri tradit Veſalius. Aciam qvoqve procul dubio filum Fabius Pacius affirmat. Neqve ullus in medio etiam populo, cujus hîc inſignis autoritas, qvacunqve etiam interpretatione putârit ſcio Aciam Italis filum qvodvis notare metallicum. Hi enim ipſi ut Latini circumſcriptione dicunt, *Filo di rame, di ferro, d' argento, d' oro*; qvemadmodum, monente Salmaſio, Euſtathius Σύρμα ex ſuorum temporum conſvetudine ἀργύρεον μίτον interpretatur; & Fortunatus ejusdem indicio *Catacliſtica fila* intellexit, Martiali aurea: qvæ apud Julium Capitolinum de ſubtemine aureo prolata rectè judicat Salmaſius. Cujusmodi etiam D. Hieronymo *aurum in fila lenteſcens.* Diſcriminis evidentiam ſermonis Italici uſu verè oſtendit Martinus Bonomius Medicus Venet. Lib. de Diæta; ubi ad Urinæ difficultatem inſtrumentum proponit factum

De re ruſt. L. 1. C. 23. L. 8. C. 11. L. de arbor. Cap. 14. L. 10. Ep. 30. Archit. L. 6. Cap. 9. & L. 7. C. 3. Comp. 142. De Ling. Lat. L. 4. De Vuln. Simpl. C. 7. Chir. Lib. 2. Cap. 10. Chir. Mag. Lib. 3. C. 8. Comment. Meth. Med. Lib. 3. C. 4. Not. in Fl. Vop. Aur. & Tert de Pall. Lib. 6. Ep. 3. Not. Tert. L. 2. Ep. 15. Cap. 4.

ctum ex filo argenteo, qvod aciam craſſitie adæqvat. Aciam itaqve ex re molli filum omnes ferme ſtatuerunt alicujus nominis Chirurgiæ Profeſſores, ceteriqve primæ claſſis Medici: à qvibus pauciſſimi, Gvidonis Cauliaci exemplo, non tam naturæ ratione qvàm rei novitate inducti, metalli delectu in peculiarem ſententiam abierunt: licet ipſe in periculis communiorem & probabiliorem viam ſeqvi jubeat.

Chir. Mag. Tr.5. Doct.2. Cap. 1.

Cap. XV.

ALPHONSI NUNNEZ, & nova Aliorum de Acia opinio examinatur.

CAuliaci opinionem poſt Clariſſimum Nunnezium tutatus vir inſigni doctrinâ & eloqventiâ eximius, Fibulæ Materiam & Figuram plenè ſatis expoſuit, qvòd eam lucis plurimum Aciæ allaturam exiſtimaret. Ac Fibulam qvidem tradit priſcis Vinculum fuiſſe Metallicum, qvo ſejunctæ res nectebantur & ſtringebantur, eamqve formæ multiplicis. Talem verò Mechanicam eſſe, jam ſatis conſtare arbitror: qvæ nullâ certitudinis evidentiâ ejus generis Vulnerariam infert; qvum convenientia non in Materia, ſed in Uſu, conſiſtat. Qvòd ſi veſtiarius fortè uſus Metallum volet, an idcircò idem vulnerarius? Qvæ enim carnis ferro diductæ ad chlamydis laxatæ, aut balthei ſoluti gravitatem proportio? Et qvid ad rem qvòd *VINCULUM INJECTUM*, qvum idem ſit Galeni ſermo de Faſcia? Neq; enim lino qvidqvam aptiùs devincit ſive deligat, aut adſtrin-

Comm. 2. T. 1. Hipp. de Offi. Med. Lib 7. Cap. 214. 21. 2.

ſtringit, ut æqvivalentibus Celſi verbis utar: qvi loco aliqvoties adducto, veluti Galenus breviter *Met. Med.* *Vinculum ex duobus initiis circumdatum*, ſic etiam con- *L. 3. C. 4.* ſtituit *Vinculum ex duobus linis acu trajectis, quorum ſingulorum capitibus diverſæ partes adſtringuntur*. Vincturam vocat idem, non Juncturam, ut habet *L. 7. C. 4.* poſt M. S. Ambroſianum textus vulgaris, qvem præ- *L. 8. C. 8.* ter Joannis Caji & Pauli Aicardi animadverſiones *10. 22.* veteris codicis Florentini autoritate ſic emendari jubet ſermo de Ligatura inſtitutus: qvod Variis Celſi lectionibus, Deo favente, opportuniùs me aliqvando declaraturum ſpero. Confirmat Varro, *De Ling.* qvi ait, *qvòd Corona vinculum capitis, & ipſa à vinctu- Lat. L. 4.* *ra dicitur*. Hinc Tacitus: *Silius hederâ vinctus*: *Ann. XV.* Item: *diademate caput Tiridatis evinxit*. Et venuſtè *Cap. 2.* Tibullius:

—— è veſte ſacris tendent umbracula ſertis *L. 2. Eleg. 5.*
Vincta, coronatus ſtabit & ipſe calix.

Et Claudianus: *De laud.*

———— roſeis evincta coronis. *Stil. l. 1. v. 87*

In qvem modum ſcite Nicolaus Reuſnerus:

Vincta caput ſertis, & ver amplexa maritum,
Nuda per herboſos FLORA jocatur agros.

Eadem vi ſatis aptè in membranis Q. Sereni apud Thomam Bartholinum, civem meum paternæ virtutis æmulum:

Aut ceraſi vinctum longo jam tempore pomum.

Ubi in vulgatis omnibus *victum*. Ceraſa enim ſerti modo ad ſiccitatem aeri expoſita veriſimile videtur. Sed nec vincula ſemper ex metallo facta, ſignificavit Maro, qvando *linea* dixit, Unde *Æn. 5. v. 102.*

nec

nec abs re Tortellius Linum denominatum scribit ab antiqvo Græco *Lineo*, qvod est detineo: qvanqvam veriùs fortasſis à λινόω, *lino vincio*; qvemadmodum Jul. Scaligeri judicio ligando *Licium*. Columellæ qvoqve *Salix & genista palmitibus idonea prabent vincula.* Qvomodo de vite Varro, *discat pendere in palmam, aut funiculo, aut vinctu: qvod antiqvi vocabant Cestum.* Qvâ veritate adacti veteres qvoqve Etymologici, qvantumvis Barbari, Vinculum exponunt Ligamen. Qvod etiam probavit Pasſeratius harum literarum peritus apprimè: ut non malè apud Galenum de Administrat. Anatomica *Laqvei* voce usus fuerit Andernacus. Porrò, utramqve (Suturam, & Fibulam) optimam ex Acia qvando statuit Celsus, qvomodo Acia inde probetur Metallica, judicent periti. Etsi enim, tacentibus hoc ipsum, qvotqvot inspexi, Lexicographis, post Georgium Agricolam, virum P. Ciacconii judicio doctum & diligentem, cum Josepho Scaligero in Festum, & Cornelii Severi Ætnam, post Senecæ ac Pomponii Læti indicia Autori suo à Fulvio Ursino dignè restitutam, cum Jano Cornario in Aetii versione, cum Andrea Cæsalpino Julio Cæsare, Claudino in Appendice de Ingresſu ad Infirmos, & Claudio Salmasio, Viris clarisſimis, ultrò fatear, qvòd priscis Latinis, atqve inprimis Plinio, ACIES sit idem qvod Julio Polluci Στόμωμα, hoc est, Chalybs à Chalybibus primis ejus inventoribus, seu ferrum igne fusionis vehementisſimo depuratum, ad argenti albedinem maximè accedens; qvod in Excerptis ex veteri Lexico Græco-Latino *Ferrum durum* explicatur,

De Caus. Ling. Lat. L. 1. C. 11.
Lib. de Arb. Cap. 29.
Rei rust. L. 1. C. 8.
L. 8. C. 4.
L. 5. C. 26.
De Foss. Lib. 8.
Ep. 79.
Tetr. 1. *Ser.* 2. *Cap.* 59.
Sect 2.
Nat Hist. L. 34. C. 14.

catur, veluti apud Papiam *Aciare* ferrum duriſſimum; ut verè Gualtherus *ςόμωμα* Pollucis reddiderit *Acies*; qvod Lexico Græco-Latino veteri *Ferramen* eſt; non *Ferrumen*, ut J. Mellerus Palmerius notavit; *παρὰ τὸ ςομῶσαι*, qvod Vet. Gloſſ. eſt *aciem indurare*, ut *ςομῶν* apud Pollucem Gualthero *aciem inducere*, qvamvis Onomaſtes diſertè *χαλύβδιον ςόμωμα* nominet, qvod Interpres *Chalybeum Aciale* dixit; vel qvæ, Magio judice, ob nominis proprii indigentiam, Plinii verba, *è nucleo ferri excocto indurata acies*, qvæ ab invicta duritie Heſiodo *Ἄδαμας* dicitur: nullâ tamen lege inde Acia derivatur. Nec vocibus à Latina detortis hanc de Acia conjecturam Galli, Itali, & Hiſpani ſuo ſermone multum ſtabiliunt. Qvid enim ad Metallicam Aciæ fabricam ultra confert Itala vox *Acciaio*, qvæ Latinis Chalybs, utut Bonaventura Vulcanus in Gloſſario Latino-Græco Æs interpretetur, qvàm *τὸ ῥάμμα*: cujus denominatione tamen filum nemo æneum velit inferre, qvòd *Rame* Italis Æs denotet? Filum ſanè mollis materiæ indicat lepidiſſimus Ariſtophanes, qvando *ἐῤῥαμμένους πώγωνας* ſeqviori ſexui adſignat; qvas Andreas Divus Juſtinopolitanus *Sutas barbas* exponit: cujus operæ capillamenta hodiè Gallis conſveta, velut olim Medis apud Xenophontem *κόμαι πρόσθετοι*, Franciſco Philadelpho interpreti *Comæ appoſititiæ*, Luciano *πηνίκαι*, D. Hieronymo *alieni capilli*: qvæ galericuli verè ſutiles formam annosqve impunè mentientes; qvod ejusmodi barbitie in alienam plerunq; perniciem excogitato vix conceſſum. Qvidni pari, ne dicam, potiori jure, Acia ab Thuſcorum *Accia*?

Spicileg.

Miſcellan. L. 2. C. 8.

Concion.

Pæd Cyri Lib 1.

Dial Meret.

L 2. Ep. 18.

Verùm ne teſtimonia de trivio cumulare videar: qvando res verè cum animis reputanda, ſi vox hæc Latinæ ceu vetuſtiori & reliqvarum lingvarum exoticarum matrici, non aliter qvàm Acus, originem debebit, qvidnî ACIA apud priſcos Latinos ſine Romanæ auguſtiæ nota eodem ſenſu fuerit uſurpata, qvo Italis hodiè *Accia*, non ſecùs qvàm *Cyma*, apud
De re rus. Catonem, Celſum, Apulejum rei herbariæ ſcripto-
Cap. 156. rem, & hujus apud alios familiæ innumera: cujus-
L. 2. C. 21. modi plurima ſuis nominibus in vulgo ſunt? Qvam Denominationis affinitatem ratione Formæ & communis Uſus ſicut filo intorto nullus probè doctus negaverit; ita eam credo ipſi concedet Materiam, qvæ & laborantis valetudini & operantis Medici
De Adm. dexteritati fuerit convenientiſſima: Linum puta,
an. L. 8. Lanam; ex qva filum validius Galeni monitu, vel
Cap. 4. ſericum. Ceterùm, & rarior ea Aciei conditio, qvòd ſoli ferro ſubjiciatur. Freqventiùs enim cujuscunqve rei Acumen ſignificat, qvòd pungat, aut ſecet: ut rectè Agricola in rerum Metallicarum In-
L. 7. C. 29. terpretatione Aciem ſuâ lingvâ verterit *Scherf*. Ita
L. 8. C. 1. Celſus de unco, *qvo partus emortuus extrahitur: in interiorem partem per totam aciem exacuitur. Acies*
L. 4. C. 7. *ferramenti* de Modiolo: Columellæ qvam eleganti
& 11. Metonymiâ Acies falcem denotat. Cælio Aureliano ſcalpellum, apud qvem *vana caro acie circumcisa*.
Chron. Acies etiam acumen acus exponitur in Voca-
L. 5. C. 12. bulario Servii M. S. apud Canonicos Regulares S. Joannis in Viridario Patavii. Hinc venuſtâ tradu-
Nat. Hiſt. ctione Plinio *Ungvium Acies*, & Ammiano Marcelli-
L. 8. C. 16.

no

no *Gallus distinctâ dentium acie stridens*, id est, serie five ordine, qvi Græcis Στοῖχος; qvaliter etiam Crocodilus ordine dentium pectinato: unde Scyllæ Homericæ τρίστιχοι ὀδόντες: & apud Aristotelem atqve Od. μ. Ælianum, ἐν Ἰνδοῖς τὸ θηρίον, οὗ ὄνομα εἶναι μαντιχώρας, v. 91. τοῦτ', ἔχειν ἐπ' ἀμφότερα φησὶ τριστοίχους τοὺς ὀδόντας. Hist. An. *Apud Indos bellua gignitur, cui nomen Manticbora, qvod habere dentes triplici utrinq; dicunt ordine.* L. 2. C. 1. Plinius eadem sententia, qvanqvam ad Philosophi verba paulò liberiùs, Ctesiæ autoritate prodit *Manticboram triplici dentium ordine pectinatim coeuntium.* De Animal. L. 4. C. 21. Nat. Hist. L. 8. C. 21. Tantundem erit, si de acumine intelligi malis: qvemadmodum is ipse de Crocuta; sive Corocotta, L. cit. C. 30. ut in melioribus libris; qvam Porphyrius putat Hyænam esse Indicam: *Acies ei perpetua in utraq; parte oris, nullis gingivis dente continuo.* De Abst. Carn. L. 3. Utroqve enim modo sensus erit integer. Acies qvippe Vegetio exercitus est cuneiformis binario cujuslibet ordinis auctiori in speciem acuminatam excurrens, vel acumine ferri armatus: translato ab ipsis rebus vocabulo, qvæ ita propriè nominantur. Agell. L. 10. C. 9. Ἀκία pariter Mauritio Aciem significat: qvod in Glossis Græco-Strat. 8. Barbaris & Phavorino etiam Ἄκα legitur. Isidorus in Glossis ei adscriptis Alam dixit: alii Manipulum, sive Decuriam. Ita Anonymus Leoni concors: Λόχος, καὶ στίχος, καὶ ἀκία, καὶ κοντουβέρνιον, ταυτόν ἐστι. Const. 3. Rhetorum colores transeo, qvibus nihil freqventiùs, qvàm ingenii, mentis, oculi, lingvæ, orationis, § 33. 35. 73. acies. Qvam neqve post M. Tullium foro adjicere veritus est in Panegyri pro Scholarum restauratione Var. Eumenius. Franciscus Petrarcha etiam, pro suo Ep. 43. genio

genio in Poësin proniore, Convivarum, & Morborum aciem dixit. Virgilio *Acies Vulcania* est ignis efficacia, veluti Vulcani exercitus. Ita Cælio Aureliano perqvam eleganter *appetitionis acies temporis obtunditur dilatione.* Ἀκρόχειρ Hippocratis Celso etiam venustate non inferiori *manus acies*; consentientibus libris calamo typisqve scriptis, qvos viderim, omnibus, præter unum Pinelli, in qvo Aicardi emendatione *macies:* qvæ Fallopio probatior. Acie pariter videtur Maro oculos notasse:

> — *Huc atq; huc acies circumtulit.*

Claudianus itidem:

> *Sitne color proprius rerum, lucisq; repulsæ*
> *Eludant aciem.* —

Hinc *Acies* meritò apud Cledonium ac Diomedem Grammaticos antiqvos, magno rei literariæ bono aliis ab eruditissimo Helia Putschio simul in lucem productos, inter Hymonyma reponitur, ut oculorum, & exercitus. Utrumqve vocis modum venustè Comicorum festivissimus sic usurpavit, qvando clypei splendorem postulat: *oculorum præstringat aciem in acie hostibus.* Celsus tamen *Aciem* oculi usurpavit pro ipsa videndi potentia: qvam Ciceronis more separatim *Acrem*, & *Hebetem* ponit. Lactantius membranam oculi perlucentem interpretatur. Apulejus etiam ad Oculorum Aciem extenuatam hoc Remedium adfert: *Herba Centauriæ minoris succus oculis inunctus aciem extenuatam sanat: adjecto etiam melle, eodem modo proficit, caligantibus qvoq; oculis claritas restituitur.* Plinius Valerianus idem clarius

Æn. 10.
Chron. L. 5. C. 12.
De re med. L. 8. C. 11.
De luxat. & fract. Cap. 5.
Æn. 21.
Pan. in Mal. Th. cos. v. 106.
Lib. 1.
Plaut. Mil. Sc. 1. *Act.* 1.
L. 6 C. 6. & L. 7 C 7.
Præf. L. 7. & *Cap.* 7.
De opif. Dei Cap. 6.
De re herb. Cap. 35.
L. 1. C. 18.

riùs tradidit: *Centauriæ minoris succum adjecto melle æqvo pondere permisces, & inunges, aciem extenuat: & ipsa herba in aqva cocta oculi foventur, ut caligantibus oculis claritas restituatur, & ne facilè hoc periculum incidat.* Sic enim levi distinctione autori sensus redditur. Eleganter Seneca: *obit cœlum acies nostra.* Ep. 89. Et distinctiùs: *Paulum titubat acies: faciliùs adversus illam animum, qvàm oculos attollo.* De Tranq. an. Cap. 1. Qvâ locutionis ratione τῆς ὄψεως apud Hippocratem affectatiùs, qvàm ad autoris mentem, Foësius *videndi aciem* reddidit, qvum & Athenæo ὄψις Oculus, qvem à venis stringi compertum est, & Ruffo Ephesio monente, *aliis id qvo videmus.* T. Lucret. oculorum aciem: P. Vegetius *aciem visus* appellavit; cum Lucretio & Celso Cicero sine adjectione *aciem.* Et si vel maximè libeat Aciæ appellationem ab Acie deducere: ea nihilominus Notatio largior Notato nihil affirmatè concludit. Rectè namqve dixeris: Aciam non esse ferream, si Acies non est ferrum: versâ vice, neqvicqvam; qvandoqvidem Acies non est æqvalis Aciæ, sed latiùs sese diffundit. Nec valido satis fundamento, qvod putant qvidam, ex Festo & Isidori Glossis Aciæ vis metallica efficitur; ubi *Acieres*, vel *Aceries*, sive *Acieres* Papiæ, veluti post Turnebum adnotavit ad Festum Josephus Scaliger, Ἀξίνη ἱεροφαντῶν Lexico veteri, *Sacerdotum securis anea in sacrificiis*, interprete Lubino in Antiqvario, qvæ Hesychio & Phavorino δίστομος πέλεκυς, *anceps securis.* Utrumqve enim mendosum opinatur nobilissimus Barthius, qvi substituit *Aire, Aires.* Nec infeliciter, Ἀιερὰ namqve ἀξίνη apud Hesychium: qvaliter

Marginal notes: De Loc. in hom. — De corp. hum. part. appellat. L. 1. §. 2, Cap. 5. — Lib. 4. — Art. Vet. L. 1. C. 56. — Tusc. qv. 1. L. 6. C. 6. — Adv. Lib. 27. Cap. 10. — Adv. Lib. 3. Cap. 3.

etiam clarissimus Balthasar Bonifacius suâ in Martialem ad eruditissimum Carolum Avantium Dissertatione indicat, qvòd *Æra* Græcis fuerit Bipennis, aut Securis: ut nihil dicam, etiamsi vera forent, nimis tamen hæc esse accersita, & nimis coacta. Parum etiam huc facit, qvòd *Aciarium* Glossis στόμωμα; qvum & Glossario Veteri 'Ραφιδοθήκη hoc nomine intelligatur, ubi Acus reponuntur; jamqve vir optimus Nicolaus Peirescius Nomenclatori probato esse *Acuum thecam* per literas monuerit. Adde, posterioribus tantùm Latinis Aciarium significare ferrum durissimum. Prisci verò sermonis usus nobis controversus est. Nec sanè Turnebus Criticorum nemini secundus Aciæ Materiam expressit Ferrum: sed cum Gloss. in phrygionis instrumento *Filum* docet *Aciculæ*; qvæ non Aciæ Diminutivum, verùm ex communi Grammaticorum sententia, non qvidem significatione, sed formatione, ab Acu ὑποκοριστικῶς appellationem traxit, *Accela* pariter priscis Glossis; & *Acuciator*, idem qvd Græcis 'Ακονητὴς, *Cotiarius*, observatione clarissimi Joannis Lauremberrgii: Qva forsan ratione legendum in Veteri Glossa MS. Bibliothecę Vaticanę, ubi est: *Acus*, *Acutor*. Ita & Acus nomen ab Attico verbo 'Ακέσασθαι *sarcire*, non adeò forsan ineptè, qvàm longinqvè petitum censebitur à Festo; aut si malis cum Nicolao Perotto ab Acumine, vel qvod Hugotioni placuit ab Acuo, qvum tota sit veluti acumen. *Acuere* verò Festus derivari prodidit ab ἀκόνη, qvam Latinè dicimus *Cotem*, utut in Onomastico Latino-Græco apud Bonaventuram Vulcanium *Aciem* denotat. Mihi potiùs

Adv. L. 17. Cap. 21.

vide-

videtur descendere ab Ἀκὶς Poetico, qvod Latinis est *Acies*, sive *acumen* qvandoqvidem è pluribus Notationibus ea Logicis potior habetur, qvæ servatis principalioribus literis rei naturæ propior est. Is verò Lingvarum consensus omnium optimus, in qvo Formæ Materia, nimirum literæ syllabæq; significationi, respondet. At parum firma argumenti vis à Notatione verbi, qvod cum re ipsa dictionis mensura non reciprocatur. Rectè Apulejus: *An qvicqvam stultius, qvàm ex nominum proprietate vim similem rerum conjectari?* *Apolog.* Francisco Sanctio viro doctissimo libens etiam assentior, qvando ait, nihil magis *Minerv. Lib.* 4. ridiculum, ubi Græcis vocibus etymum redditur Latinum, aut contra. Neqve aliud ex Turnebo colligitur, qvàm Filum acumine seu acu munitum, utcunq; Acia ab Acie nomen habeat: qvâ ratione à Celso *in acu filum*, & *acus lina ducens* ad medendum exigitur. At non omnium verborum posse dici caussas præmonuit Varro. Addo, qvòd Vectius Titinnius nobilis togatorum scriptor apud Non. Marcell. *in voce PHRYGIA Vestis* Acus Aciasqve separatim recenseat, haut aliter qvàm apud Jul. Pollucem distincta reperiuntur, ῥάμμα, ῥαφὶς, λίνον: *Licium, Acus, Filum.* Mirum autem qvid his velit Phrynichus Sophista in Ecloga Dictionum Atticarum: ἡ ῥαφὶ. τί ἐστιν, οὐκ ἄν τις γνοίη. Ῥαφὶς *qvid sit, nemo intelliget:* nisi *Pag.* 14. fortè ad Atticismum respexerit. Enimverò Ῥαφὶ & ῥαπὶς, item ῥαφεῖον, à ῥάπτω Glossa vertit *Rapium*, id est, Acus, qvâ suitur; ut verè pro *Rapsum* Salmasius emendavit. Acus nempe Phrygionum trahebat filum ex serico & auro: qvod etiam hodiè usu venit.

Ac qvantumvis phrygionum operis filum ex auro subtilisſimum duceretur, ferrei tamen uſus qvum iis nec elegantiæ nec pretii gratiam adderet, nulla vel admodum obſcura ejus apud veteres nobis indicia ſunt, niſi qvatenus aliis forſan rebus mechanicis adhibitum fuit. Alterutrum certè ſubtile ad modum continendis vulnerum oris ſine evidenti doloris moleſtia vix conferre potuit. Imò, etiamſi qvodvis Metallum facili negotio in fila ducatur, nunqvid inde certiori privilegio Aciæ nomen ſibi adſciſcet, qvàm Sericum qvod Phrygiones non minori mole, ſed majori ſæpiùs, intexunt? Qvi ſi auro qvondam mero in ſtamina diducto ſæpiùs uſi, qvando libra auri, ut eſt apud Flavium Vopiſcum, libra Serici fuit; ut jure Tiberius Imperator edixerit, ne qvis vir veſte ſericâ uteretur, qvum ſericum eſſet textura barbaricæ luxuriæ, ab iisqve ad luxum mulierum nobilium invecta: id certè magis ad textrinam, qvàm Chirurgiam ſpectat. Nec aliud hinc ſtatuere licebit, qvàm ejusmodi filum iis fuiſſe commodum, qvi Phrygum inventione veſtes acu, non pectine, pingebant, ſive ex auro variis rerum figuris elaborabant. Qvod Στήμων nominatim Græcis dictum H. Steph. ex Euſtathio diverſum oſtendit ab eo, qvod Hippocrati Ῥάμμα eſt. Si qvis verò Aciam propriiſſimè ferream eſſe, ſolaqve ſimilitudine auream, contenderit pertinaciùs: talem qvoqve fatebor dari poſſe Aciam, non minus qvàm filum lineum, etiamſi commoditas populis Orientalibus xylinum oſtenderit. Nemo tamen eadem

Aurelian.
Dio. Hiſt. Ro. L. 57. & 43.

ratione

ratione Aciam mihi negabit fericam, qvi vel leviter infpexit ftupendas ejusmodi artificum operas, &

—— *picturatas auri fubtemine veftes.*

Qvum enim Aciæ vocabulum hîc non fuerit propriiffimè acceptum, fed æqvivocum; qvalia ad omnes Differentias fe habent æqvaliter: non minori prærogativâ ex lino Acia fiet, qvàm ex acie, vel ære; qvandoqvidem filum indidem perficitur; nec minori licentiâ Medicus fibi arrogabit fericam aut lineam fuo inftituto aptam, qvam alius opifex auream, vel ferream. Materia namqve difcernitur ufu & fine, qvi cuivis artifici peculiaris. Qvidni igitur Acia qvoqve ex qvavis materie filum erit? Rem ita fefe habere, clarè monftrat, qvisqvis ille fuerit, qvi poftremâ Bonaventuræ Vulcanii curâ Philoxenii, ut nonnulli putant, Gloffario Græco-Latino, & Benedicto Floriacenfi additus, *Aciam, Licium, Stamen*, fub titulo περὶ ἱερῶν locavit. Vidit idipfum Jofephus Scaliger, qvi ad hoc in Moreto Virgilii, aut qvicunqve ejus fuerit autor:

—— *producit acu ftupas humore carentes.*

Acus nomine, vel, ut apud C. Celfum legitur, & in veteri Gloffario, Aciæ nomine intelligitur, qvicqvid ex lino, aut lana, aut ftupa, fimilibusvè carpebatur, ut linamenta, καὶ μοτάρια καὶ πλῆ Chirurgorum. Viro tamen magno affentiri neqveo, dum Acum putat Aciam effe. Verba enim Poëtæ ita funt clara, ut vix in hunc fenfum detorqveri valeant. Qvid enim vulgarius, qvàm demto lucernæ fungo ellychnium humore defectum, ut protinùs ardeat, in roftro acu

 feu

seu volsellâ produci? Et qvis vel mediocriter in
L. 2. C. 11. Celso versatus non advertit Aciam seu filum prorsus
Cap. 9. 28. esse diversum à *Linamento* sive lemnisco ipsiusmet,
L. 4. C. 20. qvod nec multum à lucernæ funiculo, aut Catonis
L. 7. C. 4. Turunda discrepat. Accedit his omnibus, qvòd
De re rust. *Nomina nonnunqvam non ab ipsa rei Substantia, sed ab*
Cap. 157. *Accidentibus qvibusdam imponentur.* Consvetudo au-
Gal. de usu Partium tem certissima loqvendi magistra; *qvæ cum omnium*
L. 8. C. 4. *domina rerum, tum maximè verborum est:* utendum-
Quintil. Inst. Orat. qve planè sermone ut numo, cui publica forma est.
L. 1. C. 6. Qvòd verò Nonio Marcello *FILUM sit ducta res*
Gell. lib. 12. *qvæq; ad tenuitatem;* adeoqve Genus, ut referunt
Cap. 13. alii, ad lineum, laneum, sericum, xylinum, aure-
um, argenteum, ferreum, plumbeum, nulla sanè
subest ratio, cur Acia sit magis metallica, qvàm li-
nea; qvum Genus sit indifferens ad suas species sin-
gulari Differentiâ limitatas. An vulgari, ut ajunt,
filo propterea dissimilis Acia qvòd Linum bellè Fi-
L. 7. C. 14. & 21. lum est Celso, qvi seorsum usus Aciæ vocabulo?
Profectò, si res omnino ad judicii limam redigenda;
L. 7. C. 9. & 28. Celso extra artis præcepta nunqvam loqventi duo
sunt Fili discrimina, scopo qvidem & formâ exte-
riore distincta, materiâ neutiqvam; adeoq; rectiùs
Diversa, qvàm Opposita; videlicet, Linum, & Acia.
Prius vulgo est simplex ac tenue, Græcis λίνον, qvod
Grammatici à λὶς, *levis*, ducunt, sive id è contusis
maceratisq; herbis fuerit, sive è carpta fruticum
Nat. Hist. lanugine, qvemadmodum Plinio visum: unde, nî
L. 19. C. 1. fallor, emendatus, à Salmasio Criticorum nostrorum
De Pall. coryphæo Tertullianus: *& arbusta vestiunt, & lini herbida.* Alterum ex lino duplicato moderatè con-
tortum

tortum Tagliacotio *Funiculus* appellatur. Acia itaq; *Chir. curt.*
à filo lineo qvoad Materiam nihil est diversa. Forsan *Icon. 7.*
nec interdum Formâ, si penitiùs considerentur loco
jam indicato verba Plinii, qvo autore in thorace
Amalis Ægyptii qvondam Regis in Rhodiorum in-
sula ostendebatur in templo Minervæ CCCLXV.
filis singula fila constare. Cui non dissimilis apud
Sil. Italicum *L. 9.*

——— ——— *thorax*
Multiplicis lini.

Qvem inter alia donaria Cyrenas à Rege missum
Herodotus jure appellat *θώρηκα λίνεον ἀξιοθέητον, thora-* *L. 2.*
cem lineum spectaculo dignum. Stamina nominavit
C. Plinius ejusmodi fila in Lini historia, ubi de plagis
mentionem habet: *singula earum stamina centeno*
qvinqvageno filo constare vidimus. Filum igitur è pluri-
mis hic filis contortum ab Aciæ forma parum discre-
pat; etiamsi hanc alii à Lino differentiam adsignent.
Nec tamen ignoro, Linum alicubi M. Tullio, non se- L. 28. C. 2.
cùs atq; Celso passim, Plinio, Columellæ, C. Aurelia- *L. 12. C. 36.*
no, Apulejo, itemq; medico, Pub. Vegetio, & Marcello *Chron. 1. 4.*
Burdegalensi, imo è Græcis Dioscoridi, filum esse tor- *De vir. herb.*
tum, qvando Linum incidere vulgatâ phrasi est sol- *C. 10. & 66.*
vere tabellas; qvæ neqvicqvam lino simplici arcta- *De medic.* C 10 14. 15.
bantur. Qvod clarissimè demonstrat Q. Curtius, *Art. veterin.*
ubi Parmenio vinculum epistolæ solvit. Hinc mag- *L. 1.* C. 26.
nus reconditæ vetustatis investigator Lipsius hoc *L. 2.* C. 13.
sensu commodè Linum definit Vinculum, qvo epi- 26 41.
stola obligata, & cui signum ipsum impositum im- *L. 3.* C. 5.
pressumqve. Linum adhuc clariùs apud Svetonium, 17. (20.)
Bb 2 & Qvin- *L. 5.* C. 138.

Lib. 8. & Qvintilianum interpretatur Juris & Antiqvitatum
Inst. ep. c. 4. scientissimus Barnabas Brissonius *Funiculum lineum,*
Ner. C. 17. *qvo trajici circumduciq; & ligari tabulæ Testamenti sole-*
Inst. Or. *bant.* Talem in Bibliothecæ qvondam Palatinæ vo-
L. 12. C. 8. lumine cum umbilico circa medium osseo mihi
De Verb. ostendit Janus Gruterus suâ ætate veterum erudi-
signi. L. 10. tione apprimè celebris. Aliis prætereà rebus etiam
aptatum fuisse à veteribus, qvi sua studiosè sigilla-
Apolog. bant, ex Apulejo certum est; apud qvem *Linteum*
in mensa positum, sine ullo sigillo, sine vinculo. Piscatio-
nibus itidem tradit Hesychius: Λίνον, σημαίνει δὲ καὶ
τὸ ἁλιευτικὸν δίκτυον, καὶ τὴν ὁρμιάν. Rete nimirum,
1 Georg. & Lineam significat. Qvo modo *Lina* Latinorum
Poetarum Principi Retia ex lino contexta. Et qvi
L. 7. C. 19. *Vinculum* Celso aliâ specie *Linum*, dum præcipit tu-
nicas, anteqvam excidantur, vinciri lino: qvod an-
L. d. C. 4. teà posuerat clarissimè, *duplex triplexve, sic tortum*
ut unitas facta sit? Ligaturam sanè profert è lino
L. 6. C. 71. Ægineta. Plinius etiam Lino pro qvovis filo usus
Hist. Nat. videtur, qvi sic de Strumis: *Aliqvi verò circumligant*
L. 30. C. 5. *eas lino, qvo præligata infra caput vipera pependerit,*
donec exanimaretur. Qvod ipsum præsidium post
De simpl. Galenum tradit Ægineta, Pliniusqve Valerianus;
fac. Lib. 6 nostra memoria Adrianus Spigelius Patavii præ-
L. 3. C. 26. dicavit. Levius autem est, qvàm ut veritati qvic-
L. 3. C. 29. qvam officiat, qvòd Celsus potiùs Aciæ vocabulo,
L. 5. C. 26. qvàm Lini usus fuerit: qvandoqvidem Synonymo-
rum delectus cuicunqve scriptori semper fuit arbi-
trarius; nec Species Differentiis ejusdem Generi
æqvalibus dividitur. Sed neqve Autor idem accu-
ratissimus Lib. 7. Cap. 25. magis indistinctè, qvam

C. 14.

C. 14. & 21 Filum accepit. Ibi enim de Infibulatione sermo, qvæ propriam æqvè separatamqve considerationem reqvirit, ac reliqva umbilici & omenti vitia; imò, qvod satis perspicuè significat Vidus Vidius, à Fibula vulneraria est omninò aliena; ut præter sermonis consvetudinem antiqvis receptam Vir eruditus cum Marcello Donato voluerit vulnerum unionem apud Medicos Infibulationem appellari. Neqve Æginetam in Γαστροῤῥαφίᾳ de Filo indifferenter, verùm de Fili, si ita loqvi licet, consistentia, sive ratione, qvæ ipsi ῥάμματος σύστασις, audiendum svadent ipsiusmet verba ex Galeno plenè transcripta. Sic enim ipse; τὸ μὲν γὰρ σκληρότερον ἐκρήσσει τὸ δέρμα, τὸ δὲ μαλακώτερον αὐτὸ φθάνει ῥηγνύμενον. Vidius cum Andernaco vertit. *Qvod enim durius est, cutem rumpet; qvod mollius, confestim ipsum rumpitur.* Qvî verò mollius rumpetur priùs, si metallicum: qvum eò durabilius, qvò mollius metallum magisq; ductile: aut si rumpatur maximè, qvomodo non rumpet unà cutem, confestim incidendo? Nihil ergò Scriptor ille Græcus de Acia ad Neotericorum opinionem; nec ejus verba qvidqvam ad Metalli substantiam: sed de Lino modicè torto, qvo omnium ætatum Chirurgi in ventris sutura usi, præcipueqve Celsus, ne qvis putet ullum ab ævo me subterfugium qværere. Qvæ verò Fabricius ab Aqvapendente contra Fallopium depromsit juvenis, vix cordatos movent. Qvid enim refert, qvòd Acia apud nullum Lingvæ Latinæ autorem reperiatur præterqvam apud Celsum: nunqvid propterea Fili significationem non merebitur? Glossographos veteres parum tunc pervi- derat

Cap. 14. & 21. *Chirurg. L. 4. C. 1.* *Dilu. Liv. L. 39.* *Met. Med. L. 6. C. 4. L. 6. C. 22.* *L. 7. C. 16. & 17.*

perviderat vir bonus, qvi nondum per ea tempora
Cl. Virorum Henr. Stephani & Bonaventuræ Vulcanii
curâ junctim in lucem venerant: nec per labores
Anatomicos & Chirurgicas occupationes ejusmodi
minutiis apud recentiores vacare licebat.
Et qvæ ratio est, ut rem, qvia nihil de ea perscriptum,
propterea non esse arbitremur? Dubium
sanè nullum est, qvin præter Tirinnium, & Celsum
aliis, qvorum memoriam obscuravit vetustas, eo-
De Med. Cap. 2. dem sensu vox ea innotuerit. Marcelli Empirici occurit
locus insignis: *Herba vel Hedera in capite statuæ
cujuslibet nasci solet. Ea si in panno rufo acia rufa vel
lino rufo ligata capite vel temporibus alligetur, mirum
remedium Hemicraniæ vel Heterocraniæ præstabit.* Nec
aliter legi potest aut debet, qvidqvid alii de *Ascia*;
qvum diligentissimi Medici vulgatæ lectioni patrocinentur
libri qvotqvot in Germania, Gallia, ac Italia
editi; & Ascia, qvæ Hippocrati σκέπαρνος, à similitudine
securis, vel asciæ, certum sit Deligationis genus.
Unde Hesychius: Σκέπαρνον ἐπιδέσμου ἰατρικοῦ ὄνομα, &
σκέπαρνον, ἀμφίστομος πέλεκυς, qvanqvam illustris Empiricus
mentem ipse suam abundè aperiat, qvam
De re med. L. 1. C. 10. Plinius etiam Valerianus expressit: *Hedera, qvæ in
capite statuæ nascitur, collecta & in alicujus vestis panno
lino rufo illigata, confestim dolorem sedat.* Sic enim locus
hic in vulgatis libris restituendus, etiamsi apud
Nat. Histor. L. 24. C. 19. Plinium Secundum laudatur *herba*, qvandoqvidem
Hedera Dioscoridis autoritate ad inveteratum capi-
L. 2. C. 210. tis dolorem confert. In Vaticano MS. tamen est,
Yberis adalligata capiti: dissentientibus, qvos videre
De vir. herb. Cap. 10. licuit, ceteris omnibus. Utriqve similis Apulejus.

Herba

Herba Batration si lunatico in cervice ligetur lino rubeo Luna descrescente, qvum erit in signo Tauri, & Scorpionis parte prima, mox sanabitur. Legendum omninò *Batrachion*· qvia cum aceto cicatrices nigras exedit. Batrachium sana etiam corpora exulcerat apud Scribonium Largum. Sileo, multa Latiaris eloqvii monetâ subinde nasci nova ad pleniorem significatum: imò suam cuivis, maximeqve Celso, sermonis rationem esse. Adeò verissimum Poetæ scitum illud: *Comp. 174.* *Hor. in Art.*

Ut silvæ foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt: ita verborum vetus interit ætas,
Et juvenum ritu florent modò nata, vigentq́.

Nam & qvæ vetera nunc sunt, fuerunt olim nova, & qvædam in usu perqvam recentia. Qvintiliani ætate inventum erat à Cicerone FIBULATUM novè: qvod nobis jam satis tritum. Ejusdem ponderis est, pvod opponitur Hippocraticum: Ἄμμα δὲ καὶ ῥάμμα μαλθακὸν, ὐ μέγα. Anutius Foesius cum Trincavellio vertit: *NODUS verò, & FILUM molle sit, non magnum.* Idem tamen, qvod supra monui, in Oecon. Hipp. habet, *Nodus & Acia; ῥάμμα* verò in Galeni Comm. dixit *filum.* Janus Cornarius, qvem seqvitur Mercurialis, transtulit: *Nexus & filum mollia, non magna.* Fab. Calvus parum Latinè, nec sine Soloecismi crimine: *Sutura verò Rhammave mollis, nec magna sit.* Et paulò ante: *Colligamentum vinculumvé seu Hamma, Suturamq́, Rhammamve non infra, sed supra distribuito.* Germanam horum mentem omnium judicio optimè in Commento assecutus est *Qvint. In. Or. L. 8. C. 3.* *De Offic. Med.* *Comm. 2. T. 8.*

Gale-

Galenus Hippocratis Genius, qvi apertè pronunciat, non de Fasciis, sed de Filo hoc in loco Hippocratem agere. Omnis tamen sermo hîc fasciæ causâ instituitur; cujus pars necessaria est filum, cui nodus apponitur. Qvod neqve obscurè significavit Vidus Vidius (*Comm. de Offic. Med.*), qvi hæc Fasciæ iconi ad Galeni textum adscripsit: *Nodus Aciæ in Fasciis.* Hinc Gorræus in Definitionibus Medicis Nodum fasciarum interpretatur, qvum ambo capita inter se vinciuntur. Imò, Seni Coo (*De Art.*) Ἅμμα *nexus est, qvi ex habenis aut fasciarum cruribus implexis efficitur.* Unde Galenus (*Comm. 2. de Offic.*) ἅμμα, *qvod fit fasciis inter se connexis & complicatis, vel qvum duo extrema, vel qvum alterum tantùm finditur, vel qvum tertium extrinsecus injicitur, qvod* Κατάλημμα, *velut comprehensamentum vocant.* Hippocrates tamen (*Cap. 29.*) Κατάβλημα dixit. Hinc Phavorinus: Κατάβλημα, περίβλημα, ἐξ ἐπιμελήσεως, ἕνεκα τοῦ συχεῖν τὰ ὑποκείμενα, παρὰ τῷ Ἱπποκράτει. Qvod Marcello forsan est *Praligamen:* ad continendam sive adstringendam Deligationem. Viderunt hoc ipsum Interpretum Græci sermonis plurimi. Ἅμμα nempe ab ἅπτειν, *Nector*, sive Ἄμμα Dialecto Jonicâ Hippocrati familiari Joannes Maciochus voce, ut Festo visum, Græcæ vicinâ reddit *Amentum*, & *Copulam*; Jacobus Tusanus, cum qvo Budæus ad verbum sentit, *Copulam*, *Nexum*, *Nodum* exponit; *Colligamentum* Calvus, & *Vinculum*, etiam autoritate Eustathii, & Phavorini, qvi cum Hesychio & Glossis τὸ Ἅμμα explicant δεσμός; qvorum sententiæ rectè favit Joannes Castrenus in Dictionario magno, qvod Paravii apud Canonicos Lateranenses Divi Joannis in Viridario MS.

typis

typis vulgato auctiùs exstat. Addit Tusanus Ἅμμα notare *Vittam*, *Fasciam*, sive *illaqveamentum* ex Dionysio Alexandrino de Apolline: qvod Scribonio Largo est *Laqveus*, *Instita*, & *Fascia*. Est & Græcis Σχοινίον, hoc est, *Amentum*, qvod in veteri Glossa MS. Bibliothecæ Vaticanæ *Ligamentum missile*, id est, qvod in medio lanceæ ligatur; rectiùs, *missilis*. Item, *Funis*, *Restis*; Dionysio de Orbis Situ, *Zona*; & Metaphoricè in Epigram. ἅμματα παρθενίης. Catullus *Zonam* dixit; in Epithalamio *Zonulam*, in Elegia ad Januam disertè Homeri exemplo *Zonam virginitatis*. Zonæ verò nomine Hymenem intellexisse Poëtam, notant elegantissimi ipsius Hendecasyllabi: Comp. 84. 133. 131. Carm. 2. Od. 11.

Tam gratum mihi, qvàm ferunt puellæ
Pernici aureolum fuisse malum,
Qvod Zonàm solvit diu ligatam.

Porrò autem Celso etiam Vinculum duobus lini capitibus constat: qvi loco Nodi qvamvis extremas Fasciæ partes assuere maluerit, ne ulcus læderet: nihilominus variandæ labiorum unioni nodus commodior, dum sine difficultate sic aptetur, ut nihil pariat doloris. Modum docuit idem alibi: *Nodus vulnus lædit, nisi tamen longè abest*. Apertiùs Hippocrates: Ἀρχὰς βάλλειν μὴ ἐπὶ τὸ ἕλκος, ἀλλ' ἔνθεν ἢ ἔνθεν τὸ ἅμμα. *Principia non eâ parte qvâ ulcus est injicienda, sed hinc vel inde nodus faciendus*. Oribasio autem qvædam laqvei species etiam *Simplex Nodus* appellatur. Verùm & latiùs extenditur hujus nominis usus. Sic enim Glossa: Ἅμμα ἐν δεσμῷ, ἐν L. 7. C. 14. 16. 21. 22. L. 5. C. 26. De Offic. De Laqv. Cap. 6.

παλαίσματα. Senecæ *Luctatorus*, Sidonio Apollinari *Palæstrita nexus:* qvem doctissimus Salmasius brachiorum circa collum implicationem intelligit. Imò
L. 6. C. 3. Eilhardus Lubinus Ἅμμα vertit *Filum*. Magis ad
Ep. 3. rem nostram Ῥάμμα, qvod & Græco-Barbaris Ῥαμμάτιν vocari Joannes Meursius in Glossario curiosè notavit. H. Stephanus in voce Ἀγαθὶς ex Eustathio ῥάμμα statuit Filum, qvo aliqvid suitur. Hinc σπάρτα νεῶν apud Homerum Salmasius verè intelligit ῥάμματα, fila nempe ex cannabe, lino, stupa, qvibus naves consuebantur. Ideoqve Bacchum femori suo insutum mox editurus lepidè ingeminavit Juppiter Λῦθι ῥάμμα, *Solve filum:* ut vel hinc Grammatici Liberum Λυσίῤῥαμβον qvasi Λυσίῤῥαμβον comminiscantur. Ῥάπτω enim, *Suo, Sarcio*. Qvò spectant hæc Etymologici Magni: Ῥάπτω σημαίνει δύω, τὸ, τι πλέττω, καὶ τὰ διεσῶτα. Graphicè Julius Pollux ex Archip-
Lib. 10. Cap. 31. po: Ῥαφίδα καὶ λίνον λάβων τὸ διεῤῥῆγμα σύῤῥαψον. Rudolphus Gualtherus Latinè dixit: *Acum filumq́, arripiens rupturam hanc consue*. Benè Phavorinus: Ῥάπτω μὲν τοι καὶ ῥάμμα, αὐτὸ τὸ ἐῤῥάφθαι, ἐν χρησεί. Vidus Vidius apud Galenum reddidit *FILUM*, *qvod* teste
De Offic. T. 7. Galeno *in acum conjicitur*, *seu* (ut clariùs idem Comment. T. 10.) *qvod unà cum acu trajicitur*, *vel ut incisæ corporis partes inter se conjungantur*, *vel ut extrema pars Fasciæ inferioribus assuatur. Cujus Materia linum est*, *sive lana*, *sive qvid aliud ejus generis*. Qvæ multiscii Autoris verba qvum in suas Definitiones Medicas candidè traduxisset Gorræus, nullam certè incurrit inscitiæ censuram. Neqve enim aliud ipse à filo vulgari Aciam Celsi opinatus, qvid rei esset

asseqvi

asseqvi non potuit, qvum Ῥάμμα dicat, sive Linum, sive Lanam, sive qvippiam aliud hujusmodi; eodem planè sensu, qvo Vidus Vidius Galeni illud τι τοιῦτον, *ejus generis*. Idq; ita palam est, ut nullam imaginari liceat cavillationem, qvâ qvod ejus generis est, diversum qvidpiam connotet, qvum posito Contradicentium uno removeatur alterum. Molle nempe innuit ille, qvodq; plagis uniendis convenientissimum. Qvod neqve subticuit Galenus Libro de Fasciis proprio. *Materiâ*, inqvit, *inter se dissident. Qvoniam nonnullæ ex lana, aliæ ex membranulis.* Qvo fortassis nomine, qvidam, ut refert Salvus Sclanus, ex charta pergamena bitumine illita Fibulas effinxere. Qvid verò absurdi, si vel Aciam ipseà Filo vulgari diversam putasset formâ, qvam Celsus duplicato filo torto circumscribit? At qvando νομὴν γίνεσθαι explicatè jube Senex noster, Galenus qvidē hanc dictionem, qvæ deligationis distributionem seu progressionem significat, fasciis sæpius aptari docet; Filo tamen etiam accommodat, sed qvà fasciam firmat, ut ibidem prolixiùs patet. Hac ratione, à Celso parum diversâ, Tusanus Ῥάμμα Suturam ac Deligaturam à Ῥάπτω derivat; & Budæus è Josephi Antiqvitat. vocem hanc exponit Fibulam sive Tæniam, qvæ per anulos excurrit vestis scissuras committens Maciochus pariter, atqve ex Hesychio, Lexicographis qvibusdam hic suspecto, Budæus Filum explicat, & Licium. Qvod postremum interpres Gualtherus in Pollucis loco nupero retinuit, ubi: Ῥάμμ' ἐπέκλωσας tradaxit *Licium involvisti*. Conditionem ipsius non segniùs perseqvitur Hipp. qvàm Nudi. Totum

Comm. 2. in Hipp. de Offic.

L.7.C.14.

Fasciæ gratiâ. *Molle* enim exigit, ne comprimat; *non magnum*, seu (qvod Galeno itidem est) non parvum, hoc est, modicum, ad celeritatem in agendo laudatam, qvam longitudo sæpiùs moratur. Qvod
L. 6. C. 52. sanè præceptum magnâ sui parte nec postremum in Sutura locum habet apud Æginetam. Eandemq; fuisse Hippocratis mentem disertè satis indicat ipse no-
Cels. L. 8. C. 7. ster, cujus consilio Maxillæ fractæ curationi fascia aut mollis habena convenit. MOLLE verò, & MOLLITUM inter se dissident. *MOLLIS quippe vocabulum*, autore Galeno, *ut DURI, de qvadam corporis affectione propriè dicitur, qvam nec interpretari qvidem, qvalis sit, pluribus est opus, nemine vel ex voce ipsa non ad rei notitiam perducto.* Hoc tamen
De sanit. tuend. L. 2. C. 5.
Materiæ potiùs indolem redolet, qvàm Formæ. Siqvidem *Molle*, Etymologicis qvasi Mobile à Movendo appellationem trahit, qvidqvid in qvamcunqve partem moveri possit, ut apud Lucretium *Mollia membra*, & *Mollia brachia.* Qvomodo Junius etiam
Lib. 4.
Philargyrius Grammaticus antiqvus id apud Virgilium accipit, & nonnulli ὑγρὸς apud Theocritum Metaphoricè *Flexibilis* reddunt. Inde Servius apud
Æn 8.
Virgilium *pilenta mollia* exponit *pensilia.* Molle etiam, qvod in se cedit, ut apud Galenum, nec durum est; qvemadmodum Poëtæ Mollis lana, annotante Nonio Marcello; & apud Cornelium Celsum *præcordia mollia*, *duris* contraria: qvodve aliis corporibus facilè cedit; sicut *locus mollior* Celso percussa calvaria. Ita Virgilius molles undas protulit exemplo Lucretii, cui etiam *Mollis Aqva.* Neqve aliud Hippocrati significare potest Μαλθακὸν sive Μαλακόν,
De simpl. Facult. L. 5. C. 5. Georg 2. L. 3. C. 20 & 24. L. 2. C. 17 L. 8. C. 4. Æn. 10. L. 2. & 1.

μαλακὸν, qvàm Delicatum; qvaliter Celsus Hippocratis sententiam declaraturus addidit de suo, *maximè in mollibus corporibus*, qvæ & ipse *teneriora* nominat, & præcipuè mulieribus tribuit; qvibus ipse paulò post *duriora* opponit, seu *valentia*, nimirum qvæ viribus pollent; ut *durari corpus* nihil ei sit aliud, qvàm *firmari*: qvanqvam *Durare* & *Mollire* etiam de Cute protulit. Unde in Leucophlegmatia pro frictione commodè præcepit manus aut pueriles aut muliebres adhiberi, qvò mollior earum tactus esset. Pindari etiam scitum est: *L.1.C.1.* *L.3.Aphor.* *L.3.C.21.* *L.2.C.10.* *C.14.* *L.3.C.6. & 21.*

Χρὴ μαλακὰν χεῖρα προσ-
βάλλοντα τρώμαι ἕλκεος ἀμφιπολεῖν. *Pyth. Od. 4.*

Oportet mollem manum admoventem os vulneris tractare. Hippocrates verè dixit εὐρυθμίην τῶν χειρέων, *concinnitatem manuum.* Nec Latinos Græcis eloqvio inferiores ostendit ubertim Varro Qvintiliani sententiâ lingvæ Latinæ peritissimus: *Ita pascere pecus oportet, ut adverso sole agat. Caput enim ovis molle maximè est.* Rectiùs *averso*. Similiter apud Columellam haut dubiè legendum: *Plurimum refert, ut pascentium capita sint aversa soli, qvi plerumq; nocet animalibus.* Non *obversa*, ut in vulgatis omnibus. Ait enim: *Observandum est sidus æstatis per emersum caniculæ, ut ante meridiem grex in occidentem spectans agatur, & in eam partem progrediatur, post meridiem in orientem.* De ansere Varro pariter: *Collum perimbecille, ut caput molle.* Μαλακὸν verò Molle, seu Maturum, ac Dulce interpretatur etiam elegantioris doctrinæ vir Turnebus; cui apud Galenum *De Eleg.* *De re rust. L.2. C.2.* *L.7. C.3.* *L.3. C.10.* *Adv. L.12. Cap. 8.*

De us par. L.12. C.2. Σκληρὸν Durum ac renitens propriè opponitur: qvorum utrumqve vino commune eſt. Qvaliter Maro
Georg. 1. *molliſſima vina* dixit: & Lyricorum Princeps *Molle merum*. Græcorum forſan exemplo: Inter qvos Ari-
De cauſ. ſtoteli μαλακὸς οἶνος pariterqve Theophraſto, qvod
plant. Theodorus Gaza ſine Danielis Heinſii viri clariſſimi
L.6. C.24. cenſura *vinum molle* vertit; qvemadmodum & do-
L.5. C.9. ctiſſimus Joannes Saracenus οἶνος ἁπαλὸς, interpretatus
De re ruſt. vulgari *Vinum novum* in Dioſcoride; uterqve Palla-
L.11. T.14. dium ſeqvutus, qvi & *levius* appellat: niſi, qvod omnino ſuſpicor, legendum fuerit *lenius*. Qvo mo-
L.1. C.38. do Plinius Valerianus *molli igne coqvere: molliq; igni-*
L.4. C.44. *culo incaleſcere*: &, *ſuper carbones molles imponere*, hoc
L.2. C.30. 31.34. eſt, *lento igne*: vel, *ſuper lentos carbones*. Immo Cel-
L.5. C.18. ſus *Vinum lene* ad malagma ſumit. Parum verò intereſt, ſive cum Levino Torrentio viro præclaro
L.2. C.20. *Maturum* hîc intelligas, ſeu cum Celſo *Lene ac defe-*
L.6. C.6. *catum*, ex mente Servii; qvâ notione apud Hippo-
De Intern. Affection. cratem οἶνος μαλθακὸς *vinum molle, qvod ad aqvam proximè accedit*, idem qvod Erotiano poſt Dioſcori-
De cauſ. Plant. dem ἁπαλὸς, cui in Athenæo ac Theophraſto ὀξ-
L.6. C.24. ὺς opponitur. Columellæ *Vinum durius*, fortè Pal-
L.12. C.30. ladio & *ſolidius*. Simile huic eſt Ἁπαλὸν, *Tenerum*,
L.d. ſeu *Molle*. Qvod Celſus ovis adſignavit: qvanqvam
L.4. C.3. clariſſimus vir Petrus Victorius Pinelli conſilio vo-
Var Lect. cem hanc expungendam moneat. Recentia ſine
L.29. C.9. dubio is voluit, ſicut Caſtaneas Virgilio molles &
Var Lect. in Virgil. Nonio Marcello notavit Joannes Pierius Valerianus, & utroqve prior Macrobius. Qvâ ſermonis
L.3. C.16. formâ Celſus cibis acribus molles, nempe mites, ac
L.4. C.4. L.4. C.10. lenes opponit; *hiemes* Columella *molles* dicit, ut

Varro

Varro tempestatem. Senectutem qvoqve Romanæ eloqventiæ parens eleganter ait mollem & jucundam; Martialis *Nomen nobile, molle, delicatum*; Vocem, qvæ exilis est, Hippocrates mollem pronunciat, ut asperam, qvæ dura. Absit verò Celsum autorem gravissimum credamus unqvam idem repetere, aut verba innovare; qvum apalis mox addat mollia; eademqve voce usi fuerint Scribonius Largus, Plinius Valerianus, Cælius Aurelianus, Marcellus Empiricus, Apicius, Octavius Horatianus, atqve inter recentiores Gariopontus. Sed propriùs ad rem. Ferrum eqvidem molle plumboqve vicinum rotarum usibus aptum ex Isidoro didici. Hoc tamen, qvantumvis ductile ex facili in fila attenuetur, nunqvam metallicæ substantiæ cum lentore duritiem exuit; sed tale censetur comparatè, non aliter qvàm Celso *Aqva dura*, imitatione Hippocratis, *qva tardè putrescit* & *Muria Dura*, qvæ aliter eidem asperrima dicitur, etiamsi ea satis liqvida, qvum nempe maturæ caseus dulcis innatet, Columellæ experimento, nec ut doctissimo Mercuriali visum ad solem induruerit; qvæqve Scribonio Largo recens exigitur, & manifestè potabilis indicatur. Qvocirca irrito conatu ACIA Filum elicitur Metallicnm; qvia Metallum, vel propter formam, vel ab igne, vel suâ naturâ molle, seu regulare est; qvod Claudius Salmasius eruditè post Isidorum è Plinio in regulas aut clavos *Ductile*, id est, lentum ac flexile exponit. Enimverò qvamvis id arte Mollitum censeatur verius, qvemadmodum Poëtæ

— *mollitum in fila metallum*;

De re rust. *L.* 3. *C.* 9. *Cat. Mai.* *L.* 9. *Ep.* 12. *Epid.* 2. *Comp.* 104. *L.* 5. *C.* 12. *Chron.* *L.* 2. *C.* 7. *De Med.* *Cap.* 20. *L.* 7. *C.* 17. *L.* 2. *C.* 10. *L.* 6. *C.* 27. *Orig.* *L.* 16. *C.* 20. *L.* 2. *C.* 30. *De Aer. Aq. & Lo.* *Com.* 23. *L.* 4. *C.* 24. *L.* 12. *C.* 6. *Var. Lect.* *L.* 1. *C.* 66. *Comp.* 60. 185. *In Solin.* *Cap.* 52. *Æn.* 3.

Cel-

L.8.C.1. Celſus tamen ſcripſit *Suturam calvariæ carunculâ mol-*
liri, cartilagine os pectorale, qvo Sternum intelligit.
L.7.C.26. *Oleum* qvoqve eidem *nervos mollit:* & Scribonius
Comp.135. Largus edocet qvæ Alvum molliunt ſive laxant, pa-
L.2.C.29. riterqve ante ipſum Celſus. Imò, hic ipſe *Febres per*
L.cit.C.4. & 12. *decesſiones molliri* tradidit. Lino autem qvis Molle
Or.L.19. propius inficiabitur, niſi planè fungus? Hinc Iſido-
Cap.27. ro Λινάειον propriè, qvod molle ac lene. Hujus ve-
L.5.C.26. rò cenſus eſſe, qvod non nimis tortum, poſt Cel-
Met. Med. ſum fatentur omnes cum Galeno; qvò mitiùs cor-
L.6.C.4. pori inſidat,&cum minori inflammationis periculo
carni adhæreat, non tàm arctè ſtringendo, ad vitan-
dum Cancri periculum. Harum tamen Cautio-
num circa Aciam prima duntaxat in Celſo reperi-
tur; altera de Faſcia tantummodo prolata fuit.
Molle autem torto, ut duro, hîc opponitur. Neqve
enim verborum adeò inops cenſendus Autor diſer-
tiſſimus, ut non potuiſſet Metallum inſignire no-
mine magis proprio, qvale eſt ductile, flexile, aut
ſimile qvidpiam. Sed Molle ipſi eſt, qvod tangenti
cedit, non qvod ſubtile. Atqve ejusmodi ait ille
L.7.C.4. *Linum eſſe crudum;* puta, nondum lixivio macera-
tum, *duplex triplexve, ſit tortum, ut unitas facta ſit.*
Comp.75. Qvâ locutione poſtremâ uſus etiam de Simplicium
& 88. mixtione Scribonius Largus, & Columella. Tale
De re ruſt. etiam Galenus approbat, qvod ſit molle, veluti Pe-
L.11.C.3. lignum à Plinio laudatum. Filum vero contortum,
Lib.de Arb. & per ceram deductum ad Suturam exigit Marinus
Cap.9. Sanctus in Compend. Chirurg. qvod Lanfrancus
Loc. cit. inceratum appellat. Qvapropter multi Tortum ad
Item L.3. Cap. ult. Metallorum claſſem detorqventes fruſtra ſe hic tor-
qvent.

qvent. Qvamvis enim non abnuam, *Torqvere* non solùm idem esse qvod *Rotare* ac *Trahere* juxta Virgilianum: *Æn.* 12.

Ferrum alii torqvent, & obumbrant æthera telis.

Unde apud Ammianum Marcellinum *Balliſtarum* *tortores*, & *Tormentum*. Sed & *Inflectere* atqve *Curvare*; velut in eo Virgilii: *Lib.* 19. *Georg.* 2.

— *Taxi torqventur in arcus.* *v.* 448.

Ex qvo *Tortilis* ac *Tortuosus* Lucio Apulejo *Flexilis*. Id tamen verbum vorticibus proprium innuit Poëtarum doctiſſimus: *Æn.* 1.

— *illam ter fluctus ibidem*
Torqvet agens circum, & rapidus vorat æqvore vortex.

Nec peculiarem in Chirurgia locum, sed communem aliis, obtinere hanc vocem, abundè patefacit Statius de Parthenopæo, qvi se ad cursum præparat: *Theb.* 6.

— *torto chlamydem diffibulat auro.*

hoc est, flexo ad referandi commoditatem auro fibulæ, chlamydem enodat & exsuit. Cui conformis Sidonii Apollinaris

— — *torto Fibula dente.*

Dens autem clavus est, & qvidqvid tenet aut nectit, notante ad Cirin eruditiſſimo interprete Friderico Taubmanno. Qvâ vi Tibullus per Synecdochen Partis pro Toto Clavem innuens, *v.* 128. *L.* 1, *El.* 2.

— *referat fixo dente puella fores.*

Aurum verò *tortum* qvid Statio, non usqve clarum. Nunqvid, ut apud Græcorum Poetarum Principem: *Il.* 18. *v.* 401.

Τῇσι πὰρ εἰνάετες χάλκευον δαίδαλα πολλὰ.
πόρπας τε, γναμπτάς θ' ἕλικας, καλυκάς τε, καὶ ὅρμους.

Ubi Spondanus:

Apud istas per novennium fabricavi artificiosa multa
Fibulasq́, tortilesq́, armillas, fistulasq́, & torqves.

Homeri verba licentiùs transtulit Eoban. Hessus:

— *qvas apud arte meâ fabrilibus armis*
Plurima confeci flabella, monilia, bullas.

Camerarius ἕλικας *Torqves* convertit. Qvid etiam hoc loco ἕλικες valdè obscurum. Neqve enim diligens cæteroqvin Interpres Eustathius de his aliud,
Ιλ. μ. qvàm qvod ἕλιξ, ἀπὸ τοῦ ἑλίσσω, *volvo*, vitium sit anulus seu capreolus: τὸ λεπτότατον οἷά τι νῆμα, ὃ ὁρᾶται ὅπου καὶ χερὸς, τῶν παραπεφυκότων, qvibus non dissimile qvidpiam in qvadam Fibula apparet. Ecqvid enim helici in ipsa alioqvi simile? Ac licet vox ista Græca
L. 2 C. 8 & nativa, Columellæ tamen scriptori satis Latino *Elices*
L. 11. C. 2. idem sunt qvod Colliqviæ & *Collicia* Plinio, sive sulci aqvarii, per qvos aqva collecta è liris ducitur;
L. 12 Tit. 7. Unde Palladio *Deductoria* vocantur; Catoni *Inciles*,
De re rust. & *Incilia*, pariter Festo, cui & *Incilla*, qvod Hermo-
Cap 155. lao Barbaro in Glossemat. Plinian. jure suspectum,
L. 5. C 49. Columellæ *Incilia*; qva etiam ratione legendum puto in Glossarii M S. fragmento apud G. Barthium Adverf. Lib. 28. Cap. 19. ubi scriptum *Incilla*; etiamsi Passeratius, contra omnia exemplaria conjecturâ satis probabili, *Inlices* sive *Illices* scribendum putet. Nec aliter consuisse credo hujus Glossarii autorem, in qvo perperam librarii vitio *Julices*, *ranales*. Rectius *Inlices*, *canales*. Columellam verò loco primum

mum laudato tuetur etiam Homeri Scholiastes: ἕλιξ ἁπλῶς· συστροφὴ, ἐπὶ ὅλου τύχοις ἢ ὕδατος ἢ καμπτῆρος. Verùm Poetam optimè explicare videtur Hesychius, apud qvem Ἕλικες, ἢ ἐνώπια, ἢ ψέλλια, ἢ δακτύλιοι· *vel inaures, vel armillæ, vel anuli.* Effugium itaqve non usqve tutum Aciæ Celsi qværitur, qvando *non nimis torta* putatur non nimis implexa & in gyrum rotata. Etsi enim hæc significatio vera; certum tamen est, Accidens commune distinctam non inferre Materiam, veluti partem rei essentialem. Audiatur, si libet, in contrarium mirabilis Mutationum Autor: *Ov. Met. I.*

> —— *cava buccina sumitur illi*
> *Tortilis in latum, qvæ turbine crescit ab imo.*

Neqve enim Chirurgi peritiæ à vetustate sive usu decorum fuerit, aut vulnerati patientiæ tolerandum, aciæ extrema in summo juncta digitorum tortu in opere ipso implicari. Fabricii ab Aqvapendente juvenile hoc erat inventum, qvod maturiori ætate damnavit. De qvo verè Metrodorus: τὸ νέον ἅπαν θερμόν. *Stob Serm. 50.* Ast ea de re ne verbum Celsus, qvi jubet capita fili deligare; torqvere, qvod viderim, nunqvam. Neq; is Acum, sed Aciam, postulat mollem. Minùs, qvod ei qvidam imputant, talem in Fibula voluit, ubi Acia crassior, qvàm in Sutura. Utrobiqve nimirum eam simpliciter requirit, etiamsi Fibula vulneri magis hianti conveniat. Sententiæ ipsius magis adversatur, qvod opinantur qvidam, Aciam non nimis tortam esse, qvæ non penitiùs in cuticulam inseritur. Qvasi verò sui parum memor *L. 5. C. 26.* artifex jam prohibuisset, qvod in vulnerum glutinatio-

natione paulò ante præceperat: debere aliqvid ex carne comprehendi. Tortuosas autem Fistulas flexasqve si qvando Celsus ob curvaturam Rectis opposuerit; qvi Acia inflexa & Metallica inde conficitur,
Æn. 4. ut non Tortam potiùs implexam dixerim, qvo pa-
Comp. 43 cto Virgilius Funes tortos, vel Scribonius Largus
L. 5. C. 28 *Linteum intortum*, & Celsus ipse *Papyrum intortam?* Eam sanè significationem de Filo ubiqve retinuere etiam incultiores Chirurgiæ Doctóres, inprimis Le-
Tract. 2. onardus Bertapalea, qvi jubet Chirurgum ipsum, ne
C. 8 in 4. sit nimis tortum, filum destorqvere; qvod Plinio
Fin. Av. est *Retorqvere*. Ejusmodi verò filum Nicolaus Flo-
Ser. 7. Tr. 1. rentinus barbarè qvidem, significanter tamen, *Cor-*
Sum. 1. *dosum* vocat; nempe, restis instar ex diversis filis ita
C. 55. contortum, ut capreolum repræsentet. Hinc Procetius Celsi illud, *Acia non nimis torta*, explicat, *duplicata*; & Fabricius ab Aqvapendente Aciam intelligit Filum ex duplicato lino intortum. Appositissimè de venefica Petronius: *Illa de sinu licium protulit varii coloris filis intortum, cervicemqve vinxit meam.*
Arch. Atq; hoc modo Vitruvii intelliguntur *Nervi torti*,
L. 10. C. 15. & *Funis nervinus* Vegetii; qvem alter ille manifesti-
De re mil. ùs dixit *è nervo tortum*, Ammianus Marcellinus *mul-*
L. 4. C. 9. *tiplicem chordam nervorum tortilium* appellavit. Ve-
Lib. 23. rùm, & Celsus ipse in Ramice, qvam Græci Κιρσοκήλην
L. 7. C. 18. appellant, venas scroti conglomeratas dixit intortas: qvando scilicet, ut ipsius utar verbis, plures in-
Chir. P. 2. ter se involvuntur. Albucasis eleganti Metaphorâ
Cap. 64. vocavit *Ramicem cum vite*, qvam ipse venam involutam, grossam, plenam superfluitatibus Melancholicis definit. Ceterùm, filo aureo vel plumbeo Perito-

ritonæi processum intercipiente Herniam nostro seculo aptè curari, adhuc dubium est. Aureo id à nonnullis tentatum scio: num plumbeo, ambigere licet, qvòd nimis molle longo temporis tractu vix oneri resistit. At sine dubio parum etiam feliciter aureo; qvòd membranæ istius productione fili duritie attritâ, seu, qvod Paræus advertit, ob virgulam malè complicatam, dum ruptâ suturâ solvuntur intestina, non raro recidiva cum vitæ discrimine attrahatur. Hinc Lithotomi tandem ad Linum tortum recurrere fido ûsu tutissimum deprehenderunt. At solidorum corporum longè alia ratio est. Qvo nomine Hippocrates Cous interprete Vidio, præcipit *dentes inter se ligandos auro potissimùm, vel certè lino, donec ossa maxillæ conformentur.* Apertiùs noster ille Romanus: *si ex ictu vel alio casu aliqvi labant dentes, auro cum his qvi benè hærent vinciendi sunt.* Vetustissimam consvetudinem indicat Lex Regia: *Quoi auro dentes vinctiesunt, ast im cum illo Sepelire, & urere, se fraude esto.* Mihi etiam submonere liceat, ob virus cavendum ab ære, cæterisqve deficientibus, ἔτι ἄσηπτος ἐστιν, *qvòd*, maximi Senis judicio, *minimè putrescat*, tutiorem fore setam eqvinam ab Ægineta propositam. De cujus usu ad Vet. M. S. Florentini fidem ita Celsus: *Si transversa maxilla fracta est, sub qva casu ferè dens super proximum dentem excidit: ubi ea in suam sedem collocata est, duo proximi dentes; aut si hi labent, ulteriores inter se setâ deligandi sunt.* Speciatim Hippocrates ἱππείην τρίχα appellavit, id est, *Setam eqvinam*, ut elegantiùs veterum Latinorum exemplo Foesius, qvàm Cornarius, qvi *pilum eqvinum*

De Art. Com. 2. T. 25.

L. 7. C. 12.

L. 6. C. 92.

L. 8. C. 7.

L. 1. C. 9. *num* reddidit; qvamvis & Gualthero τρίχες ἵππου
v. 6. apud Jul. Pollucem sint *Fili eqvini*. Tullius Naturæ
De Or. 3. providentiam prolixiori sermone expositurus: *Oculos natura nobis, ut eqvo & leoni setas dedit*. Et de
Tuscul. 5. Dionysio Tyranno verba faciens: *fulgentem gladium è lacunari setâ eqvinâ appensum demitti jussit*. Sidonius
L. 2. Ep. 13. Apollinaris expressiùs: *mucro districtus filo eqvinæ setæ ligatus, & ita pondere minax ut acumine, gulam formidolosi Tantaleo frenabat exemplo*. Lis autem omnis de Aciæ circa vulnus usu inter doctos vertitur. Qvandoqvidem igitur majus, imò certius, à Metallo, qvàm à Lino, vulneratis partibus detrimentum instat; qvo jure Ferrum molle Suturæ conferret, ut tolerabilius minusqve crudele Fibulâ seu ferreis Hamulis: qvum neqve hoc unqvam committendum, qvod in ejusmodi Sutura vitari neqvit, ut
Gal. Meth. ægrum Medicus laceret, aut torqveat; qvin potius,
Med. qvantum fieri potest, sine dolore ad sanitatem per-
L. 14. C. 23. ducat? qvomodo, lite de Fibula necdum certo judice diremtâ, dubium qvod est à magis incerto confirmatur? Celsus autem Suturæ nomine qvid potuerit intellexisse; num solam Acum ex molli ferri filo ad curvaturam facili, non ducentem filum, jam non disputabo ulteriùs: siqvidem ab existere ejus, ut loqvi solemus, qvod esse possit, ad actum nihil cogitur. Neqve hîc qværendum censeo, qvid fieri potuit, sed qvid factum. Qvod certè ex ipsis Celsi verbis perspicuum adeò est, ut de eo ampliùs dubitare verear ne pertinacioris fuerit animi. Aliorum qvoqve conjecturam parum roborare poterit
Chir. L. 7. Paræi Sutura, qvæ neutiqvam filo aureo, sed virgâ
C. 16. aureâ

aureâ perficitur, nec qvibusvis vulneribus, ſed uni Rupturæ vitio excogitata; Guidonis minùs, qvam cum Felice Platero Fabricius ab Aqvapendente magis doctrinæ, qvàm uſus, gratiâ deſcripſit, imò, creſcente cum annis judicio, voce & calamo ex Arte proſcripſit, qvamqve Platerus nunqvam adhibuit, qvin vulneris glutinationi non ſufficere fatetur. Et ſi eam vel maximè admiſiſſent iſti, ejusdem nihilominus animi fuiſſe Celſum adhuc in ancipiti eſt. Prætereà, qvum priſcos ſemper arbitros poſtulent alii, qvid primi inter Latinos Medici ſententiæ à noſtrorum temporum viris accedet, qvod non ex ipſomet derivârint, ſi, ut verè Scribon. Largus, *per antiqvos Autores conſummatur Profesſio*? Parum etiam huc facit, qvòd Filum non patiatur vulnus eſſe latius. Contrarium enim probat uſus artificum ſolertiâ confirmatus. Idqve Celſum etiam animadvertiſſe video, dum ait: *Ferè tamen Fibulæ latius vulnus eſſe patiuntur. Sutura oras jungit, qvæ nè ipſæ qvidem inter ſe contingere ex toto debent, ut ſi qvid intus humoris concreverit, ſit qvà emanet.* Qvod nullus qvoqve Scriptor eruditis receptus filum voluerit Fibulæ Materiam, ſed æs, ferrum, aurum, qvî intelligendum, jam ſatis ſuperq; monſtratum fuit. Nec magis Metallum inferunt verba, IMPONERE, INJICERE, SUPERDARE, qvàm Linum. Siqvidem Autor noſter eadem indiſcriminatim non aliter Medicamentis Externis, & diſtinctiùs Ceratis, Emplaſtris Linamentis, ac Spongiis, qvàm Suturæ, Fibulæ, & Ferramentis, paſſim adſignat. Imò, prolixus adeò horum verborum eſt uſus, ut Salmaſius ad Tertullianum obſer-

Prax. Tr. 2, C. 7.

Præf. ad C. Jul. Calliſtum.

L. 5, C. 26.

L. 5, C. 26. L. 7. C. 1, 2, 4. 6. 7. 9. 16. 22. 25. 26. 30.

De Pall. 370.

obſervet Togam vel Pallium propriè imponi, dum ſupra ceteras veſtes injicitur. Fruſtrà etiam deſiderantur à nonnullis veteres Mechanicarum Artium libri, qvi Aciam filum qvodvis metallicum, propriiſſimè autem ferreum, ſint prodituri. Antiqviores enim Grammatici vix id tacuiſſent, aut omiſiſſent; noſtræ nec minus memoriæ literatores, qvi minima qvæq; alicujus uſus, potiſſimùm circa Nominum rationes, diligenter enucleârunt. Horum profectò diligentiæ Bitonis, Heronis, Pappi, aliorumq; iſtarum literarum indicium debemus; inter qvos Athenæum qvondam à Grutero & nuper Meurſii promiſſum ab heredibus efflagitamus. *Votivum* Exſpectatum verò hujus cum Bitone ac Herone conſpectum præbuit Illuſtrisſimi Antonii Grimanni liberalitas, qvi hiſce libris olim ſumtibus Dominici Grimanni Cardinalis elegantisſime ſcriptis, eruditisſimum virum Thomam Bartholinum eo munere dignum Venetiis ornavit, hæc ad curas ſecundas qvum revocarem. Nihil tamen pro ea ſententia in vetuſtisſimis Vaticanæ aut Mediolanenſis Bibliothecæ libris hactenus viſum. Si qvid autem eruditorum labori hîc relictum, id à Cl. Salmaſio procul dubio exſpectandum, cui jam plenus eruditorum ſenatus raro noſtri ævi exemplo ambiguam* ingenii judiciiqve palmam decrevit.

Cap.

CAP. XVI.

Epilogus.

His positis, qvum Celsi præcepto Aciâ seu filo non nimis torto Sutura plagas in molli parte, Fibula verò in vulnere carnis hiante, oras in unum attrahat; ei subscripsisse, à qvo nata certaminis occasio, non minus æqvum erit, qvam tutum. Antiqvatam qvippe ac penè obscuratam, opinione potiùs ac vulgi sensu, qvàm naturâ, Aciam suis ille natalibus restituit, summæ autoritatis Medicus, maximusqve doctrinæ Hippocraticæ imitator, vel potiùs Hippocrates Romanus, ἐς πάντα ἰσφερᾶ. Qvo autore qvum Medicina cœperit Latinè loqvi, optimus suorum jure verborum interpres erit; nec magis fidendum hîc Poëtarum vel Oratorum lenociniis, qvàm nativæ sermonis pulcritudini, qvæ in hoc Latinorum Medicorum principe ubiqve enitet. Aliam sibi Aciam ad libitum imaginentur alii. Non moror, non sum invidus. Ea enim est ingenii libertas: Qvam sibi qvisqvis permiserit, mihi etiam in rebus dubiis indulgeat, fas est. Suum interea cuiqve, pulcrum esto: mihi sine gratiæ pretio veritas, Sapientiæ initium. Qvam si hîc fortassis attigerim, Æternæ Veritatis munus agnosco, qvi non omnia me novi assecuturum; qvum alius alio plura invenire possit, nemo omnia. Nec qvidqvam tueor mordicùs. Aliud namqve est pugnare, aliud velitari. Sed nec ullâ gloriolæ aviditate ea nunc mihi passus sum excidere, qvæ Musis & Amicis tenui filo ducta, vel planè obliteranda forsan, vel certè premenda aliqvamdiu censueram; Ιλ. λ.

 ram;

ram; verùm voluntate eorum, qvibus me præbere debui, qviq; damnoſam conſilio procraſtinationem judicârunt, qvamvis & neceſſaria feſtinatio honeſtas forſitan moras impetraſſet. Noveram eqvidem, qvàm arduum, & laudem diligentiæ ſimul, & gratiam celeritatis meruiſſe. Sed enim unum me ſolatur, qvòd fermè rebus difficillimis venia ſit prolixior apud prudentes viros, qvibus non ignotum, qvàm ſit arduum, vetuſtis novitatem, novis autoritatem, obſcuris lucem, dubiis fidem adferre. Probent itaqve damnent qvidqvid libet ſinguli, ut ipſorum mentem experiar. Sed ingenuitate Philoſophi ingenio dignâ, nunqvam ad monendum futuri tam promti, qvàm ego ad mutandum. Judices intereà exſpecto viros probè & candidè literatos, ac peritos rerum; qvos per utilitatem publicam obſecro, aulæo remoto, qvâ decet animi integritate, ut res eſt, ſententiam ferre velint. Verus laboris fructus eſt placere melioribus. Ex qvorum primis ſubſelliis virum incomparabilem Claudium Salmaſium appello, candoris & ſcientiæ famâ clariſſimum,

Omnis Doctrinæ ratio cui cognita, qvantum
Sexcentis condit Varro voluminibus.

Symbolam ſi pro ſua benignitate, & publicæ commoditatis gratiâ, ex varia reconditæ eruditionis penu contulerint Galliæ ornamenta Joannes Riolanus, & Renatus Moræus, in Urbe Regia præcellentes Chirurgorum Ephori, dum vocabuli ſtatum ad noſtri ævi uſum temperaverint, præclaris in Artem meritis ætas omnis plurimum acceſſiſſe fatebitur. CELSO autem veritatis aſſertæ patrocinium, me interprete, ſi Medicorum adjudicaverit chorus, bono eventu in hanc arenam deſcendiſſe ratus, verè fineẏ Scriptoris non omnino mali ſententiâ operi manum imponam.

Vindic. Ep. ad Val. MAGNA LAUS VETERUM INSTITUTA SCRUTARI, MAJOR VERO GLORIA INVENTA SERVARE.

SYLLABUS

Eorum, qvi laudantur, reſtituuntur, aut declarantur.

A.

Hiero

Fran-

Eoba-

Archias-

Q.

R.

Suidas

INDEX RERUM ET VOCUM.

Vulca-

Ascle-

Cica-

INDEX.

Fib.

G.

H.

I.

Περιο-

Sarci-

INDEX.

T.

Θήξις.

CI Menetru



NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE" NAPOLI

L. Pign[illegible]



H. Gal[illegible]




NAPOLI

J. B. Casalii.



Fr. Angeloni



H. Ernstii.



Al. Estii.



BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

M. Mileri



Z [illegible]



Fr. Gualdi



NAPOLI

Jo. Rhodii

De

PONDERIBUS

ET

MENSURIS

VETERUM MEDICORUM

Inprimis

Cornelii Celsi

DISSERTATIO POSTHUMA

In Lucem protracta

à

Th. Bartholino.

Accedit Vita Celsi, & Judicia Doctorum
de Acia Rhodiana.



HAFNIÆ,
Literis MATTHIÆ GODICCHENII,
Sumptibus PETRI HAUBOLDI, Reg. Acad. Bibl.
Anno M. DC. LXXII.

THOMÆ FUIRENIO

Consobrino suo

THOMAS BARTHOLINUS

S. P.

DEbet Tibi posteritas præsentis Opusculi usuram, ut plura alia. Qvod penes me fuit, beati RHODII nostri ultima cera signatum, editioni Celsi addendum, cum Celso eodem cinerum fato involutum apud me periit, in qvo figuræ ponderum Romanorum exhibebantur, cæteraq; limam nacta. Illius jacturam Tu supples. Qvisqvilias enim has, qvas damus, prima Autoris manu confusè notatas ex chartis tuis disjectis libenter concessisti, qvibus in ordinem redigendis, qvantum lituræ patiebantur, paucas horas impendi, gratiam à veterum amatoribus meriturus, qvi tantam reconditæ doctrinæ partem hic

comprehendi non ignorant, ut huic argumento difficili non ingloriam operam ſummi qviqve impenderint. Certè Autores veteresqve Medicos nemo in Ponderibus hoſpes aſſeqvetur. Accurata antiqvitatis notitia neceſſaria, ad gentis cujusvis ſtateram examinanda, qvarum tanta eſt diverſitas, ut ſine Magiſtro difficile ſit hinc eluctari. Qvicqvid hac parte à Clariſſimo Rhodio præſtitum, grata Tibi poſteritas in acceptis referet, cujus idcircò nomini, mihi chariſſimo, hæc ſuſpendo, haud neſcius plura Tibi deberi & majora à me amicitiæ documenta, qvod tam conſtanter ab incunabulis vinculum ſangvinis & fraternum nomen conſervaveris. Servabimus ad cineres usqve mutuum nexum, & pares ætate, pari amore certabimus. Vale, ut Muſæ valeant, qvæ felices in otio beato tecum habitant. Ex Tuſculano meo Hageſted ipſo D. Thomæ feſto CIↃ IↃC LXXI.

Jo.

Jo. Rhodii

De

RATIONE PONDERUM ET MENSURARUM

A. Corn. Celsi,

DISSERTATIO.

POpuli Rom. infantiam ad maturitatem robuftam perduxit Prudentia. Nec primitus alio duce ruftica virtus latè adeò per orbem arma circumtulit. Ita cum Græca Difciplina & Religione ifta vivendi præcepta accepit, qvorum vigore & obfeqvio imperium jam olim affectum hodieqve florentiffimum revirefcit. Inter plurima verò Græcorum monita prudentiffimum illud Platonis 5. de L. L: Menfuras ficcorum & liqvidorum ac Pondera Legislatoris mandato conftituenda. Prævidit, nempe, Philofophus, hunc verum Juftitiæ nervum, citrà qvem falus publica nunqvam ftabilis aut perpetua foret. Hinc Athenis olim, tefte Suida, μετρονόμοι decem & qvinqve creati. Nec alio opinor confilio, ut antiqvitus Romani, ita noftrâ ætate Veneti rerum gerendarum peritia eminentes πλ:ζιχοπώ-σοι, eorum curam Ædilibus, Romani publicanis delegarunt. Qvam licet Qvæftoribus, veterum, qvod fciam, nemo affignarit, diverfæ tamen antiqvorum

 Pon-

Ponderum maſſæ ſingulari Italorum ſtudio in noſtram ætatem ſervatæ, luculenter ſatis id edocent; cujusmodi veteres qvoqve Græcos non ignoraſſe Heſychius fidem facit, qvando inqvit: [illegible], σὺθμιον τι ἐπταμηναῖον, οἱ δὲ μολίς; qvemadmodum & pervetuſta antiqvi Congii inſcriptio, Illuſtriſſimi qvondam Cardinalis Farneſii, Menſuras in Capitolio exactas oſtendit: qvorum Schemata domi peregrinantibus eleganter Pætus exhibuit lib. 3. Menſ. Liq. & arid. Ro. & Græc. Hinc Sacratiſſimarum Legum conſtitutione ut olim in Templis, ſic hodie majorum exemplo, ad ſtabiliendam commercii fidem, Ponderum & Menſurarum exempla, in Palatiis & Curiis publicè ſervantur. Græcis autem ſimpliciora fuere Romanorum pondera ac menſuræ, qvod ipſi pauciores qvam iſti, imò unam tantum Rempublicam, velut orbis compendium, negotiationis amplitudine florentem haberent. Taceo ſummam Romanæ gentis induſtriam, qva in modulandis ponderibus atqve menſuris cæteris omnem laboris gloriam præripuit. Qvibus procul dubio rationibus, domeſticis qvàm peregrinis inſtitutis, CELSUS Romanorum Medicorum, qvi nobis innotuere, vetuſtiſſimus, cæteriqve ejusdem ſeqvaces inſiſtere maluerunt. De qvorum *Ponderibus & Menſuris*, qva proprium ſeu mutuæ proportionis valorem, qva ſigna, pleraqve apud Cornelium Gellium, Valerium Probum, Volus Metianum, Scribonium Largum, Priſcianum, Bedam, Paulum Diaconum, corrupta, tamqve varia omnibus in libris, qvàm varia ipſa Exemplaria, & librariorum manus, omnibus

bus haut usqve obvia, ſed qvæ plerisqve ignota errorem legentibus faciunt, ad priſci ævi genium, ex eruditæ Antiqvitatis fontibus, uſui non pompæ, derivare placuit.

Medicamentorum Compoſitorum materiam Medici politiores, ,vel Numero, vel Acervo, vel Pondere, vel Menſurâ, æſtimant. Et qvidem Numero & ſimplici & compoſito, fructus, legumina vel ſem. majora; Acervo, hoc eſt, Pugillis, Manipulis aut Faſciculis, Radices recentes, folia, herbas, flores, legumina ac ſemina qvædam, cum Sale &c. Arida plerunqve Pondere, Menſurâ & arida & liqvida. Nullum tamen medicamenti genus eſt, qvod ſtateræ judicium recuſet, ſicut rectè Joubertus, p. 21. Celſo qvæ in his uſitata, proportionis ſerie perſeqvar.

Numero non ſolum fructus & ſemina, ut lib. 4. cap. 10. ſed & Animantium partes, ut vitellos, inſignivit Autor lib. 5. cap. 19. & 21. Qvem plenè ſine characterismo expreſſit. Vulgò ſic notatur, nº.

Pugilli vocem venuſtâ circumſcriptione protulit idem lib. 5. cap. 10. ubi pro Pugillo dixit, qvantum tribus digitis capi poteſt. Hinc Aëtio δράξ, qvod pugno ſeu compreſſis digitis capi poteſt. Galenus lib. 8. de Comp. Med. ſ. l. cap. ult. abuſivè Rutæ faſciculum dixit qvantum duobus digitis comprehendi poteſt.

Manipulus, Celſo, qvod Scribonio Largo *Faſciculus*, Simleri judicio in Nomencl. Rei Numar. fol. 89. Qvo ſenſu Eſthio cap. 1. §. 1. de Remed. formul. defi-

definitur faſciculus, qvi manu comprehendi poteſt. Rondeletio cap. 2. Meth. cur. p. 17 ceteriſqve omnibus à Manipulo differt Faſciculus, niſi forte cum Agricola lib. 2. de Extern. pond. [illegible] intelligendum. Heurnius lib. 1. Med. Prax. utriusqve diſcrimen explicatius tradidit, cui Faſciculus, qvantum plicatis brachiis capi poteſt. Ovidius de medic. faciei, manipulum ſcitè circumſcripſit. Qvantum manus una prehendat.

Inter *Pondera* Romana, reliqvorum omnium tam Ponderum qvàm Menſurarum veluti Regula primas meritò poſcit *Libra*. Cujus ſchema p. Celſo ſine ulla adjectione, notat *Pondo* ſolum, hoc eſt, Libram, non Mercalem, negotiatoriam, [illegible] Polluci, Gallis Regiam, qvæ Senum denum Budæo, de Aſſ. lib. 2. f. 38. Sedecim Unciarum Had. Junio, ſed Romanam, qvæ tam Menſuralis à mole, qvam à gravitate Ponderalis, Aſſis inſtar, Romanis uſitatiſſimè XII. Unciarum ſive 84. Denariorum erat: non qvidem levi conjecturâ, ſed computatione legitima, noſtræ æqvalis. Hoc tamen diſcrimine, ut Libræ Unciæ XII. Menſurales, X. Ponderales reſpondeant, ex Gal. lib. 6. de Comp. Medic. ſ. gen. cap. 8. Soli, qvod ſciam, Budæo de Aſſe, duodecim & dimidiæ, cujus ſententiæ momenta Agricola ſolidè infregit lib. 4. de Pond. & Menſur.

Aſſis etiam ſive *As*, ut ex Varrone lib. 4. & Plinio lib. 33. cap. 3. colligere eſt, ab ære dicta. Balbus ad Celſum de Aſſe ejusqve partibus, qvicqvid unum eſt, & qvod ex integrorum diviſione remanet, Aſſem ratiocinatores vocare ſcribit. Numus ſemper

ærcus

æreus ponderis libralis, Valerio Probo de Notis Roman. & Prisciano Grammatico de nominibus Numerorum. Numus Libralis. Unde vet. Assipondium, usqvedum lege Papyriâ, referente Plinio lib. d. tandem post bellum Punicum cum Hannibale gestum contracto ære alieno, cum impensis Respublica non sufficeret, repetitâ diminutione ex Librali, Sextantarius, sive Sextantalis Ursino Not. ad Varr. R R. lib. 1. cap. 10; deinde Uncialis, Semiuncialis deniqve fieret; cujus dimidium Assarius sive Assarium, qvod etiam à Plutarcho significatione & pondere Assis usurpatur. Charisio lib. 1. Assarius antiqvis, nunc As, non Assis: alio nomine *Solidus* vel solidum, qvod interdum latiori qvoqve significatione ob perfectionem duodenarii, de re qvavis, & potissimum hæreditate herciscunda, integri loco profertur, geminato senario. Item *Jugerum* olim, abusivè *Pondus*, unde Dipondium Isidoro Orig lib. 16. cap. 24. Qvemadmodum & *Libra* qvasi libera cuncta in se pondera concludens, atqve *libella*, autore Plauto in Capt Act. 5. Sc. 1. item in Pseudol. Act. 1. Sc. 1. qvæ semper argentea erat, us As æreus. Simlerus ait Assem, qvo & Cic. usus, ex ære gravi libralem, decimam Rom. Denarii partem. Cum qvo etiam sentit Hadrianus Junius si de numerata in ære pecunia intelligatur: sin de pondere, libram notare. Hesychio ὀβολὸς, hoc est sagitta, qvod olim ex ære sagittæ formam referret, annotante Isidoro l. c. Vid. Plutarch. in Lysandro. Unde vulgo Obolos, rectius in MS. Latinis obulus; gravis nempe æris, qvo mulcta erogari consvevit. Nec ullum

b fere

ferè erat ponderis genus, qvo non numisma significari solebat, præter *Pondo*, qvod secus ac libra, As aut solidus, semper pondus, nunqvam nummi genus significat, veluti libra freqventius pondus qvam Numum; As, & Solidus, semper ferè Numum qvorum ille æreus, hic argenteus vel aureus erat, sed demum temporum injuriâ, ob minorem auri ac argenti copiam, in æreum mutatus. Romæ *Pondo*, autore Volusio Metiano Imp. Antonini Pii Consiliario, Philosophi in Juris disciplina Doctore, inter minora pondera maximum erat, & minimum inter majora; qvæ, numero ponderi adjecto, sine peculiari appellatione efferebantur, ut dupondium, centumpondium, ≤ h.e. medium inter ea qvæ Libra nunc majora nunc minora sunt. Imo, ex numero æris omnis Nummus argenteus potestatem habuit, annotante Volusio p. 57. Libra enim pondere, Nummi verò argentei in pecunia, formâ publicâ duntaxat, nomen accipiunt apud eundem Volusium p. 63. Cæterum Assis nomen, non tantum Ponderi & Mensuræ, sed Numero etiam, non secus ac Denarius, competit, qva dicendi consvetudine Columellæ lib. 5. cap. 3. unitas est. Græcis similiter λίτρα duplex est; μέτρῳ, ἢ σταθμῷ. Ad utriusq; distinctionẽ Latini, etiam in non ambiguis, invalescente apud Rom. usu, Libræ ceu ponderali, ad Mensuralis discrimen, Mercuriale docente de Comp. Med. lib. 2. cap. 1. ut ponderis nomenclaturæ: Pondo hac Notâ p. adjecere, qvæ aliis Libram Mensuralem denotat, qvemadmodum Græci σταθμῷ. Qvamvis & nonnunqvam Libra simpliciter prolata, Græcis, ut Suidæ, sit ὁ σταθμὸς, qvo-

qvomodo Latinis etiam, veluti Scribonio Largo, pondus. Lingvæ Latinæ Autoribus vox hæc numero indifferenter jam præponitur, jam poſtponitur. Porrò, Libræ Unciæqve ponderali ac menſurali occaſionem dedit Græcorum conſvetudo, qvi ut ſolida pondere, liqvida menſuris, ita ſemina & pulveres modo pondere modo menſuris metiri ſolebant. Qvanqvam verò Pondera Civilia à Medicis uſu diſtincta: Certum tamen qvamlibet Romanorum Libram ſemper Uncias XII. minores, id eſt, communium 11½, recepiſſe; nec Græcos valore, ſed varietate à Romanis in diverſum abiiſſe, qvod veriſimile, Græcos pondera cum faſcibus à Romanis poſtliminiò accepta religioſè retinuiſſe. Heſychius totum compendiariò dixit: Λίτρα, ὀβολὸς, οἱ δὲ νόμισμα παρὰ Σικελοῖς, οἱ δὲ ἐπὶ σταθμῶν οἱ δὲ ῥωμαῖοι, διὰ τοῦ β λίβρα. Phavorinus idem iiſdem verbis. Characteriſmus ejus, præter ſuperiorem, Latinis vetuſtioribus talis eſt. P. ℔. X. Ꝉ. Ł. ℔. ℔. ⁂. ʃʃ. △ imitatione Latinæ vocis mutato ſolùm B, in T, Græcis Λ. Λ. Λ. Λ. Λ.

Bes, aliàs *Besſis*, *Bisſis*, *Biſſa*, vel *Biſſe*, qvaſi bis triens, qvia ⅔ ſive duo Aſſis Trientes, ſeu qvod dempto libræ Triente ſupereſt. Hoc eſt, Unciæ VIII. Priſcian. p. 8. Vulgò Marca. Vox præter Celſum Galeno uſitata. Olim Des, ex Varrone lib. 5. de L. L. & Priſcian. p 13. veluti dempto Triente. Aliàs Libra Numularia & Octonaria. Cujus hoc ſignum S. -ſ-. ʃʃ. ʃ. ʃʃ. b 2 Auſo-

Ausonio monosyllabum: Tertia defuerit, si portio qvid reliqvûm? Bes.

Selibra numus itidem æreus. Celso lib. 5. cap. 19. Semis, qvasi Semias Priscian. pag 13. hoc est, dimidium Assis; qva etiam voce Largus Celsi σύγχρονος est delectatus. Semissis Vitruvio. Aliis Sembella, fortè qvasi semi libella, qvæ Athenæo & Plutarcho ἤμισυ, vel ἥμισυ, ut Hesychius annotat. Phavorinus: Ἡσίοδος, ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντός. Cujus apud Græcos Nota ς″, ad differentiam ς′, qvod 6 signat: Latinos,] ET. S. S″. Aliàs παντὸς σαθμοῦ τὸ ἥμισυ, S. Græc. Nicandri interpr. περὶ σαθμῶν καὶ μέτρων.

Triens numulus erat æreus, tertia pars Assis sive Libræ, vel $\frac{4}{12}$ hoc est ℥iiij. Autor noster in malagm. Moschi, sine ponderis mentione hanc vocem protulit, plurativo Numero. Dicitur & Tras, vel Tries. Signum p. ℥. vel 3. hoc est, pondo Triens. Ab aliis ita scribitur: ==. ==. vel ==. S. ʃʃ. ⁊ʒ. ʃʃ.

Qvadrans, seu Qvadras Bedæ, Practicis vulgo Qvartarius, communiter est cujusvis Assis sive solidi pars qvarta; cæteroqvin numus æreus, Assis seu Libræ pars qvarta. Hoc est, $\frac{3}{12}$ aut Unc. III. cujus Celsus meminit lib. 5. cap. 18. Unde aliis Triuncium, & Triuncis veteribus, Ciceroni Teruncius, qvasi de tribus Unciis, ut Varro lib. 4. de L. L. voluit. Vulgo ita pingebatur =—. vel sic —=. Utraqve voce etiam Columella usus lib. 12. R. R. cap. 78. Suaqve lingva cum ignoto Græco Galen. lib. 5. de

Comp.

Comp. Med. f. g. Qvæ in re numaria Rate ſignabantur. Character qvoqve hic erat ℨ, Bedæ, 3ᶜ. ℨℨ. Dem. Alabaldo. =—. Menæ cap. 19.

P. *Sextans*, de qvo Autor. lib. 5. cap. 19. & 25. qvod ſexta Aſſis pars, hoc eſt, $\frac{2}{12}$ ſive Unc. ij. appellari ita videtur Varroni Symbolum ejus tale ═. ℨ. ℨ. Z.

Minimè præter eundem, Trientem, Qvadrantem, Sextantem, definitè accepta, integri reſpectu varias ſubire ſignificationes. Sic enim Libræ Qvadrans eſt iij. Unc. Unciæ, Sicilicus; Aurei, Scripulum; Drachmæ, Sesqviobulus. Qvia non ſoli Unciæ, ſed & libræ, drachmæ, aliisqve ponderibus haſce appellationes tribuit vetuſtas, ut ex Gal. 2. de Comp. ſ. lib. cap. 3. & Act. ſerm. 2. cap. 49. patet. Nec aliter de Triente & Sextante proportionaliter ſtatuendum.

Nunqvam tamen hiſce vocibus ita ſuperſtitioſè adhæſerunt Latini veteres, qvin & eas nonnunqvam *Unciis*, ut ſibi jure Romano propriis, expresſerint, ut ex Colum. Plin. & Autore noſtro ſatis liqvet; apud qvem lib. 5. cap. 18. etiam *Seſcuncia*, aliis Uncia Sescunx & Sexcuncia, hoc eſt, octava libræ pars reperitur. Cujus hæ Notæ ℨ. ╋. ΣI. ε. ∸. P. Z. Item ℨ. & Z, qvæ aliis nunc Libræ nunc Denarii character, ita monente Agricola lib. 4. de Pond. Rom. Sed harum diſcrimen facilè ipſa miſtionis ratio monſtrabit. Z. Celſo notat Libram & denarii ſextantem. Qvid potius autor velit, di-

 ligen-

ligenter attendendum, Mena & Rav. Pond. Med. cap. 19. aliàs dimidium obulum ex Iſidor. Orig. lib. 16. cap. 26. Nonnunqvam Sescunciæ nota eſt Ɛ̀, vel —÷—. ut Unciæ ſecundum Latinos ab uno dictæ, qvod duodecim libræ partium una ſit, hoc eſt, 8. drachmarum, Iſidoro, qvod univerſitatem minorum ponderum ſuâ unitate vinciat. Græc. ⌈°. qvæ hodie Antiqvam ℈j. & gr. iiij. ſuperare creditur, ut ut qvidam non poſtremæ aautoritatis æqvales cenſeant. Hac etiam voce uſus eſt Juvenalis Sat. VI. Celſus, præter communem noſtri ævi morem, ſimpliciter profert, qvoties unitatem poſtulat, non ſine latini ſermonis elegantia, ut ex malagm. Moſchi loco pridem adducto conſtat. Nicolaum Præpoſitum & Saladinum ſecuti Pharmacopæi Veneti, Unciam ex 9. Drachmis conſtituere, à qvibus tamen ſemper alieni fuere Medici Veneti, teſte Qvatrocchio p. 27. §. 1. Celſi autem & communes Unciæ omnino pares ſunt; licet Drachmæ aliqvantulum diſcrepent, ſed qvarum minutiæ ſi non Arithmeticâ, Geometricâ ſaltem proportione, conveniunt. Qvando enim Celſi Drachmæ 7. totidem communes grana LXXII. ſuperant: Sexies autem multiplicata in Denario 82$\frac{2}{3}$ grana 570. producunt; ut 72. in communi Drachma itidem 504. additis 72. granis, Drachmam octavam complentibus, exſurgunt gran: 576. qvot Celſo Denarios 7. ſive Unciam abſolvunt.

Uncia verò & *Semuncia*, dimidium Unciæ Priſciano & Budæo, aliàs ſemiſſis qvaſi ſemis Aſſis Iſidoro, ſic ſignata N. Γ. ibidem, —. Voluſ. Met. I. Bedæ

Bedæ ʃ̇. ⁂ʃ. S. Demetr. Alabald. aliis ε. εɔ. ε. Unc. j. Ƶ. Bed. Unc, ſem. Ƶ. Unciæ valorem eleganter Fannius deſcripſit: Unciaqve in Libra pars eſt, qvæ menſis in anno. 6. qvam qvidam, annotante Agricolâ, lib. 4. de Pond. Rom. ἀλόγως geminant. Aliis 6. γ. Iɔ. LL. υυ!ɔ. Ʋʃ. eſt *Duella*, *ſive* dupla Sextula Philandro in Vitr. lib. 7. cap. 8. hoc eſt, Binæ Sextulæ Cic. pro Cecinna, ſeu Tertia hæc Unciæ pars, qvæ VIII. ſcriptulis finitur. Nona pars Unciæ Volus. Met. cujus nota ⁓. Iɔ. eidem. 𝔏. Bedæ. Hæc velut & ſeqvens, monente Agricola, Medicis neutiqvam in uſu eſt. De iis tamen heic leviter, qva reliqvis faculam præbent.

Sextula Cicer. ſive Seſcula & Sexcla, Simoni Genuenſi *Sextarius*, numus olim æreus, & æris pars minima Priſc. p. 12. ita appellatus, qvod ſit Unciæ pars ſexta Bud. de Aſſ. lib. 1. f. 2. hoc eſt, ℈iiij ſive 1⅓ Denarii argentei aut ſesqvi Drachma. Aliàs *Sextinus*, non qvia in 6. Uncias ſive Obolos dividitur, ut H. Barbarus ſentire videtur. Sed qvod ſexies multiplicatus Unciam conſtituat. Eadem forſan de cauſa novo nomine Actuario & Myrepſo ἑξάγιον dicitur; qvod aliis, ut interpreti Anonymo Nicandri indictoqve Græco, fortè Dioſcoridi, corruptè ςάγιον, qvod Nic. Alexandrino & Barbaris duobus æreolis æſtimatur, Mercuriale annotante l. 2. c. 2.

Latinus interpres Solidum vertit, obſervante Fuchſio ad cap. 5. §. 1. Antidotar. Myrepſ. qvi ibidem Actuario Drachmâ valere colligit. Cui aſſentitur

titur Isiodorus Orig. lib. 16. cap. 24. qvi vocem hanc nimis longinqve à Dando derivat, qvod 10. nummis imputet. Dominicus Massarius Aureum Denarium, vel sine adjectione Aureum interpretatur, qvem 4. scriptulis æstimat, Mercurialis l. d. [illegible] Signa ipsius \. Volus. *v*. V. Menæ cap. 19. [illegible] ƆC. So. Bed. ℈. 4. Dem. Alabald.

Dimidia Sextula, hoc est, duodecima duodecimæ pars una, seu ℈ij. sic notata ┿. Volus. pag. 54 [illegible]. Bed.

X. vel ✻. *Decussis*, qvasi 10. Asses continens. *Denarius* est Ponderalis. Septima Unciæ pars hoc est, ℈iij. & $\frac{3}{7}$ ℈. Philandr. lib. 7. cap. 8. Drachmæ Attica & $\frac{1}{7}$. Vox origine Romanis propria Hadr. Jun. Nomenclat. n. 233. Dictus Denarius qvod nummus argenteus, Didymo seu qvisqvis ille fuerit Græcus Herodoti enarrator, δηνάριον ἀργυροῦν, olim denis libris æris seu denis Assibus fuerit permutatus, teste Prisciano, ex Verrinis Ciceronis antiqvissimæ scripturæ emendatis Codicibus: vel qvod 10. nummos usuales primitus valuerit, ex Historia Scholastica referente Joan. Gvidio Volaterano de Mineral. lib. 2. tit. 9. n. 23. Sic enim Vitruvius lib. 3. cap. 1 [illegible] primo in denario denos æreos asses constituerunt. Unde qvandoqve (Numus) simpliciter Denarium significat, ut Valerius Maximus prodidit. Cui distinctionis causâ, ad evitandam ambiguitatem, Varro Denarium adjecit. Tales etiamnum in Italia supersunt. E qvibus genuini hac fermè numeri denarii notâ ✕. signati, intersectâ lineâ, ad differentiam

tiam literæ X. qvâ Celſus pro Δ. Drachmæ Græcæ ſigno uti maluit, ut rectè Georg. Heniſchius de Aſſe pag. 88. Victoriatos binos qvivis conſtituit. Pondus ei triplex fuiſſe, magnum, mediocre & parvum, ex ſermonis progreſſu patebit. Hunc in uſu medico ſolum ſibi Celſus cum Scribonio Largo communem habuit. Cujus hanc ipſe rationem tradidit in Epiſt. ad Pull. Nat. Græci, inqvit, *Medici Pondera medicamentorum ad Drachmas redigunt: qva qvia ad Denarium noſtrum conveniunt (octoginta enim & qvatuor in Libram incurrunt) pro nota Græca Drachmæ, qvæ eſt figurâ talis Z. notam Denarii Latinam, qvam noſti, poſui, id eſt, hanc* ✱. *& ad ejus pondus Græcas Drachmas rediges.* In hanc ſententiam alibi idem brevius in Epiſt. ad C. Jul. Call. Scrib. Largo falsò aſſcripta: *Erit nota Denarii pro Græca Drachma. Æqvè enim in Libra Denarii 84. apud Nos ſunt, ſicut Drachmæ apud Græcos incurrunt.* Celſi nempe Denarius ſcripul. $3\frac{3}{7}$ vel ſexageſimas ſive grana $82\frac{2}{7}$ continet. Unde ſepties duodeni, hoc eſt, eorundem 84. libram conficiunt. Nec aliter accipiendum puto hanc in rem Gorræi Def. Med. in ℞ & ὀγγ. effatum ex Galen. 8. Comp. Med ſ. 1. deductum Græci nimirum apud Rom. medicinam exercentes Unciam in 7. Drachmas dividebant, ut hi in totidem Denarios, innuentes hos ipſos. Qvo ſenſu Celſum (ſive Scribonium) Græcorum more loqvutum cenſet Agricola. Ex qvo ſimul elucet, qvàm ſe fruſtrà torſerit H. Barbarus in emendando Plinii loco l. 33. c. 8. ubi Juſtum dicit ex libra argenti 84. Denarios

 ſigna-

ſignari. Rarum qvidem eſt, & à paucis obſervatum, qvod Leonh. à Portis l. 1. de ſeſt. adfert; Denarium Rom., ſive Numum argenteum aliqvando Drachmâ Atticâ parte tertia ſuperiorem fuiſſe, adeoqve 4. ſcrupulorum: ſed fidi Autoris ſententiâ firmatnm. Tetrachmum namqve Livius Dec. 4. l. 4. trium ferè Denariorum pronunciat, qvum 4. Drachmarum nominis ratio indicet. Niſi fortè de eo intelligendum Denario, cujusmodi primùm Cos. Q. Fabio, urgente Romanos Annibale, 64. ex libra cuſos memorat Livius; qvi non tantum Drachmâ Atticâ parte tertiâ major, ſed ſesqvi Drachmæ Atticæ æqvalis; aut qvem nonnulli Geoponicis & Hippoiatricis in 4. ſcripula ſecari tradiderunt, ob menſuram Agricolis ac Veterinariis à Medicis diverſam. Qva etiam ratione Galen. 5. de Compos. Med. ſ. g. cap. 3. qvosdam Unciæ Drachmas ſeptem cum dimidia aſſignaſſe ſcripſit. Cæterum Denarius Varroni & Priſciano id nominis obtinuiſſe videtur, qvod denos Æris ſive Aſſes valeret. Unde & in rationibus conficiendis, teſtante Volus. Metiano & Soſipatro, decuſſi inducto notabatur tali figura X. Poſtea verò *Bigatus* & *Qvadrigatus* à cælaturæ figura appellatus, referente Plinio & Feſto. Et ſimpliciter *Argentum*; indeqve Dionyſio Siculo velut Onomatotheræ Argyris; ſicut & novo dicendi genere, ad diſcrimen aureæ Drachmæ de qva Suidas & Heſychius, Alexandro apud Athenæum χρυσίς, qvam alii qvam benè neſcio, auream phialam verterunt: à Materia, nt credere pronum eſt, qvum Denarius ſemper argenteus fuerit; ſecus ac decuſſis, qvi ante

figna-

ſignatum primùm, qvinqvennio ante bellum Punicum, Anno U. C. 585. aliis 483. & 484. L. Fab. Cos. argentum, ſemper æreus manſerat à temporibus Servii Tullii Regis, qvi primus æs ſignavit. Cui ſententiæ haud obſcurè favet Grſepſius in Epit. Bud. de Aſſe pag. 19. 21 qvi ſuâ ætate ejusmodi Denarios imaginibus titulisqve Coſſ. & Cæſſ. Rom. in Sarmatia è glebis erutos narrat. Primitus qvidem, ut ex Plin. memoratum, X. Aſſibus valebat Denarius, poſt II. verò bellum Punicnm XVI. Aſſium factus eſt, ut ex Plin. l. d. & plenius 1. Annal. Taciti liqvet, cujus flandi curator C. Titinius ex denarii icone à F. Urſino de. Rom. famil. relicta. Non qvidem ob numeri perfectionem ut conjicit Vitruvius Archit. lib. 3. cap. 1. ſed verius æris alieni cauſa, ut rectè ad Vitruv. notat Philander; vel ut ſtipendium militi ſuppeteret, ut ex Tacito colligere licet. Rationem tradidit Plinius, qvi in curtiis apud Piſtores & Coqvos Diarium XV. aſſes valens Denarii loco viritim deſtributum refert. Qvem locum Senis aliqvando per colloqvium mihi ſuggeſſit Celſus Cittadinus p. m. lingvæ Etruſcæ Profeſſor Publicus & peritiſſimus Antiqvitatum, magni iſtius Lipſii qvondam condiſcipulus Romæ. Hujus æſtimio Denarius valebat 2. Carlinos, hoc eſt, XII. gracios Etruſcos. Sed Denarii valor poſt bellum Punicum ſecundum nunqvam in priorem æſtimationem rediit, ut ex Volus. Metiano Cl. Puteanus eruditè notavit. Qvod porrò Natali præcepit *Celſus* noſter, ad *Denariis pondus Drachmas reducere*, id verò majoris operæ eſt. Galenus qvidem, reliqvorum ſuæ gentis Ro-

Solonis apud Plutarchum 100. Drachmarum Atticarum ſive Denariorum, ut cenſuit Crito Med. Cæſareus, Libram repoſuit; qvum tamen 4. Drachmis invicem diſtent. Sic enim Fannius:

— qvam parvo nomine Graji
Mnam vocitant, noſtriq; Minam dixere priores,
Centum hæ ſunt Drachmæ. qvod ſi decerpſeris illis
Qvatuor, efficies hanc noſtram deniq; Libram.

Niſi Plinium Libram Atticam, non Romanam, intellexiſſe putandum. Qvod etiam Gorræo atqve Agricolæ placere video. Qvibus haud invitus qvoqve ſubſcribo, qvum ipſe Græcorum ſe nomina ſervaturum lib. 21. cap. ult. apertè ſatis præmoneat. Idem ſibi juris qvandoqve etiam Græci ſumpſerunt, Libram 100. Drachmis exprimentes, teſte Galeno lib. 6. de Comp. Med. ſ. g. Ubi, qvam exegit vocum penuria, licentiæ veniam dabit benignior dicti interpretatio de præſidiis Externis, qvorum minor qvàm internorum ἀκρίβεια reqviritur. Qvum igitur, annotante ipſo etiam Galeno, pleriqve qvidem Unciam Drachmarum ſeptem & dimidiæ, alii ſeptem tantum, qvidam verò, & inter eos ipſe Galenus lib. 2. de Comp. Med. ſ. g. cap. 2. & 11. octo conſtituerint: qvid in tanta opinionum diverſitate agendum? Tempus germana veritatis filia in conſilium vocetur, qvæ Ariadneo qvaſi fidæ obſervationis filo oberrantes viæqve incertos in tutum reducet. Si enim Hiſtoriarum monumentis, qvam merentur, fides habenda, M. Anton. Claudii & Veſpaſiani temporibus, decreta ex S. C. ponderis imminutione, Ro-

manis fortè avaritiam Græcorum æmulantibus, ex una libra Denarii 96. prodierunt, qvot Drachmæ Libram Atticam sive Medicam terminant. Qva subductione Denarius scripula 3. sive obolos 6 exactè continebit. Hinc Dioscorid. ἡ δὲ λίτρα ἔχει οὐγγίας β'. δραχμὰς δὲ ϟϛ'. Cui Galenus passim assentitur. Nec sanè alio sensu ex Budæo Grsepsium Romani Denarii pondus atqve æstimationem Drachmæ Atticæ assignasse crediderim; aut excultissimum amœnioribus literis Cl. Puteano cæterisqve Denarium pondere & pretio, Drachmæ Atticæ parem, adeò ut, qvi secus sentiunt Autores, verbis potius qvam reipsâ dissentiant. Qvomodo etiam Galeno & Marc. Empirico Denarius argenteus Drachma videtur. Et Plinius Drachmam Atticam argentei Denarii pondus habere pronunciat: suâ tamen ætate Denarii ponderi nonnihil detractum fatetur. Omnes autem levem Denarium intellexisse, certum est. Et testis est Portius, hujusmodi numos, olim Drachmis usitatiores, hodie terris effossos Drachmæ ponderi respondere. Ubi tamen Agricola & Mariana observandum monent, qvantum ipsis diuturnitate ac usu detritum. His adde, non pedariorum, sed primi subsellii Autorum Livii & Plutarchi suffragia, qvorum ille Drachmas, hic Bigatos totidem Badio Nolano à Marcello donatos recenset. Nec minoris faciendum Portii monitum, lib. 1. de sest. qvi argenteos majoris aut minoris ponderis Numos vetustiores, non Denarios, sed extraordinarios, censet. Propterea Drachmam verissimè qvidam Unciæ tam Romanæ qvam Græcæ, partem octavam statuunt,

unam-

unamqve & eandem utriqve genti *Unciam* fuisse: sed tum primum, ubi hæc cum Libra & Sextario appellatione atqve usu cum Rom. imperii incrementis, legum potius observantiâ, qvam ut qvidam putarunt, servili adulatione, in Græcorum possessionem venerat, qvorum postea ponderibus ac mensuris Rom. vicissim usi. Ductis, nempe, omnibus simul Libræ Romanæ partibus, hoc est, Drachmis (sive Denariis) 96. in duodenas, singulis Unciis Drachmæ 8. æqvales erunt, Arabibus autem Denario Aureus, qvi aliàs valet ℥iſ.

Præter Notam P. ✳. Celso in Codicibus vulgatis familiarem, inveniuntur & hæ, X. ⊬. Δ. ut Græcorum Drachmæ Λ. ∠. vel ∠ & Ʃ, inverso charactere usitato ʒ. ne ponderis nota cum numero confundatur.

X. In vetustioribus Exemplis excusis si geminatur hoc modo XX; prius Denarii pondus, alterum Denariorum numerum notat.

Victoriatus Numus erat, ita dictus, qvod lege Clodiâ Victoriæ simulacro signaretur, post victoriam in Illyrico partam: Unde advectus olim mercis loco habebatur. Numus peregrinus Volusio p. 57. Hinc Oribasio Ilarium, Fernelio Meth. Med. lib. 4. cap. 6. ac Heurnio in Tabb. ad Meth. Prax. rectius Illyricum vocatus: aliis *Qvinarius*, qvod juxta Plinium lib. 33. cap. 3. qvinos æris valeret; seu qvod argenteus qvinis libris æreis commutaretur. Volusii ætate, valebat asses 8. Marc. Empirico initio lib. de Medicamentis, & cap. 17. Victoriatus Denarius dimi-

dimidia pars Drachmæ eſt, hoc eſt, ſesqvi ſcrup. & $\frac{1}{12}$. Plerisqve rem numariam, ſoli Scribonio Largo pondus ſignificat. Cui Fernelius Celſum addit. Sed huic ejus loco *Denarii ſemisſis* eſt, qvemadmodum & præterea Marcello Semidrachma, Tremiſſis Eſthio cap. 1. §. 1. qvæ hac nota S. pingitur. Ita Celſ. lib. 5. cap. 18. P. ✱. ſemis. Item P. 1. ✱. & ſemis. Et paulò poſt: P. 11. ✱. & S.

Signa ejus hæc præterea ſunt. v. Voluſ. V. ... P. ✱. Z. vel P. ✕. Z. *eſt pondo Denarii Sextans*. Unde Denarius Sextivus.

Sextantem verò Denarii primus excogitavit Celſus, qvo ſolus etiam uſus: qvi præterqvam qvod Denarius Drachmâ paulò gravior eſſet, Obolo, ceu peregrino, uti noluit. Denarium proinde in 12. partes, ut Aſſem, in totidem Uncias diviſit: qvarum duæ (velut Aſſis partes) Sextantis nomine veniunt, qvi Semi-ſcripulum nonnihil excedit. Denarium itaqve Romanum 6. Sextantes, ut Græcis totidem Oboli Drachmam, complent; adeoqve Denarius eſt ℨj. & $\frac{1}{7}$. Sic enim Autor ipſe lib. V. cap. 21. *Scire volo, unius Denarii pondus à me dividi in ſex partes*, hoc eſt, 6. *Sextantes: ut idem in Uncia Denarii habeam, qvod Græci in eo qvod Obulum appellant. Id ad noſtra pondera relatum paulò plus dimidio ſcripulo facit.* Ubi rectè Agricola per pondera maſſas intelligit. Cui Pætus αὐτόπτης ſubſcribit. Hujus qvoqve ponderis meminit Columel. lib. 7. cap. 5. & lib. 12. cap. 12. Hinc fortè *Pondus Sextarium* Plinii lib. 33. cap. 3. Conſcientiæ & famæ naufragium ut declinet Medicus,

cus, in examinandis Celſi Remediis Sextantem Libræ & Denarii religiosè diſcernat, ex qvorum neglectu graviſſimi errores committi poſſunt, Mercurial. de Comp. Med. lib. 2. cap. 1.

Uncia Denarii, pars ejus ſexta, veluti minutia, pendens grana 13⅓. qvæ ⅔, hoc eſt, granis fermè duobus obulum ſuperat. Tantilli exceſſus negligentiâ H. Barbarus, in Caſtigationibus Plinianis, Denarii Unciam cum Obolo eandem fecit.

Victoriato *Faba* Ægyptia pondere reſpondet, ex ſententia Æginetæ & Dioſcoridis. Cujus Autor lib. 5. cap. 23. in Ambroſia Zopyri mentionem facit. Neqve ab hac Alexandrina, aut Dioſcoridis Balanus, valore differt. *Syra* Serapioni ſcripula ij. communia pendit. Cujus dimidium *Græca*. Agricola tamen de reſtit. pond. & Menſ. pag. 237. Ægyptiæ ℈ij. aſſignat.

Romanam apud veterum Latinorum neminem invenio præterqvam Celſum, qvi lib. 5. cap 25. *Noſtram* vocat. Niſi Ptolomaicam ſive Ægyptiam uſu ſuam indigitet. In Priorem tamen ſententiam magis inclinat animus: qvod in Ep. ad Calliſtum ſimili ferè locutione Denarii Romani à Drachma diverſitatem monſtrarit. Qvicqvid ſit, dubitandum minimè, ejusmodi *Fabam* ipſi peculiarem fuiſſe, modo recepta ſibi lectio conſtet.

Lupinus, Græcè Θέρμος, ſimiliter dimidiæ Drachmæ æqvatur. Danich Arabibus: qvod tamen Fernelius Meth. Med. IV. c. 6. ſolum gr. vj. Agricolæ & Mercuriali viij. ſive tertiam ſcripuli partem pendit.

Ervum ignoto Græco 2. æreolis sive 4. gr. constat. Autor noster lib. 5. cap. 23. & 25. potius Lupini ac Ervi magnitudinem qvam pondus consideravit: qvemadmodum & *Granum* l. d. cap. 18. & 25. ubi ἐμφατικῶς integrum minimèqve tusum innuere videtur.

Scripulum, pondus solis Romanis receptum, qvod tertia semper Drachmæ pars, lib. 5. cap. 17. usurpavit Autor; reliqvi Medici rariùs, sed ejus loco διώβολον, qvod Latinè oboli duo, secus ac Juniores. ut Aet. Alex. Aretæus, Moschio. Prisciano scripulus dicitur, & Frontino lib. 1. de Aqvæduct. Varroni in Plautorino, citante Carisio Grammatico Vetustissimo, & Volus. Metiano, ut & Martiali Scriptulum, & contractè Scriptlum Fannio. Scripulum in vetusto Celsi Codice. Scribulum improbat Caper. Scrupulum à scrupo præter Columellam Plinius & Carisius rejicit, licet parum à Scriptulo differre putet Mercurialis lib. 2. cap. 2. de Comp. Med. Scripulum verò qvi malunt cum Charisio, à scribendo nomen deducunt, qvod Græcis γράμμα vocetur. Isidoro inde Dramma dicitur lib. 26. Orig. cap. 24. Barbaris Scrupulus. Qvos inveteratâ consvetudine pleriqve hodie seqvuntur. Iisdem Schropulus, ut in Codice MS. Guil. Saliceti. Isidorus ait diminutivum esse à Scrupo, hoc est, lapillo brevi. Fannius metri causâ Scruplum dixit. El. Vinetus Scriplum legit. Communè granis XXIV. Nicolai & Saladini XX. æstimatur. Patavinis 24. gr. pendet. Venetis 20, qvia hi hordei grana, illi piperis usurpant.

pant. Veterum qvidam ∃ſ. *Simplum* vocabant, referente Volus. pag. 55. & Ferdin. Mena de Rat Med. cap 19. Characteres Scripuli: ⅃. ⌉. ⊢. ∋. ss. ʃʃ. Demetr. Alab. ⌉⊣. Voluſ. ═. Iſidor. lib. 16. cap. 26. ∽. ∽.

Obolus pendet Semiobulos duos, λέπτα δύο Marc. cap. 12. Simiobulus Siliqvam j & ſ. Siliqva gr. iiij. Granum, lentem unam & ſemiſſem. Vid. Philandr. in Vitruv. lib. 7. cap. 8. Cujus hæc forma ——. Iſidor.

A Ponderibus ad *Menſuras* nunc ſe flectit oratio. Hæ autem ſemper certæ ac immobiles fuere, vel ob ſummam maximæ Reipublicæ autoritatem, vel qvia pondere humida parum discrepant, ſecus qvam ſicca, qvæ rarò genere vel ſpecie conveniunt; qvorum proinde menſura difficulter perveſtigatur. Unde etiam menſurarum, liqvoris (& grani) expeditior & forma & appellatio eſt, Voluſ. pag. 63. Græci iisdem olim uſi, qvibus Romani, qvæ obſervatione qvorundam noſtris minores. In earum ſenſu hæ CELSO familiares.

Sextarius, vox inculpatæ Latinitatis Autoribus, Catoni, Ciceroni, Horatio & Columellæ uſitata, ac appellata, qvod ſexta Congii pars: unde Græcum ξέϛης, voce cum faſcibus à Romanis ad Græcos transmiſsâ Mercurial. lib. 2. cap. 1. d. Comp. Med. *Kiſt.* Arabibus; totius doctrinæ Menſurarum veluti fundamentum & Regula. Romanis Medicis menſura eſt tam Aridorum qvam Liqvidorum: Flo-

d 2 rento

rente Republicâ Romanâ, Andromacho etiam, Heræ, Asclepiadi, Critoni, Dioscoridi, cæterisqve rei medicamentariæ Scriptoribus, usitata. Suidas scribit ξέςων, μέτρον περὶ ὑγρῶν. Aridorum est ℔. unius & dimidiæ; Liqvidorum, duarum Heminarum. Unde Fannius,

Heminas recipit geminas Sextarius unus.

Et Anonymus Nicandri interpres: ὁ ξέςης ἔχει λίτραν α. ἥμισυ. Phavorinus: Ξέςης, ῥωμαικῶς ἐςὶ τὸ μέτρον, τὸ γὰρ παρ' ἡμῶν ἓξ ἀριθμὸν αὐτοὶ λέγουσι σέξ. Καὶ μέτρον τινὸς παρ' αὐτοῖς τὸ ἕκτον, λέγουσι σέξων. διὰ τῆς διφθογγίας, τὸ σέκτης ξέςης λέγεται κατὰ μετάθεσιν τοῦ ςοιχείου, οὕτω φίλων. Portium proinde non injuriâ notat Doctissimus Agricola lib. 1. de Mens. Rom. qvod Medicos solis mensuris Heminâ minoribus uti asserat.

Sextarius ponderalis Arabicus. Græcis ςατήρ: Hesych. ςατὴρ τετράγραμμος. Item τετραδραχμον & τέτραχμον. Item διπύνδιον. Serapioni *Semuncia* est: qvanqvam & ex Poll. Stater aureus duarum Drachmarum fuerit.

Italicus, Græci respectu; aliàs *Urbicus*, ratione Castrensis, qvi binos capiebat urbicos, olei Unc. XIIX. vini vel aqvæ XX. mellis XXVII. pendit. Qvem Arabes in suis Compositionibus semper innuunt. Hujus meminit Actuar. in ol. myrtino, Latini valorem ipsius diversum tradunt. Qvot enim fuere Romanorum Provinciæ, tot ferè distinctæ ejus species extitere, ut advertit Mercurialis de Comp. Med. lib. 2. cap. 1. Lacunæ qvidem Aridorum Sextarius XIII. Unciarum est; liqvidorum

vero

verò sesqvi libræ, cum Romanis, autoritate Galeni; Græcis aliàs Cadus, Jo. du Boys Obs. Phar. §. 3. cap. 29. Budæo de Asse lib. 5. & Angelocratori itidem binarum Cotylarum, hoc est, ℔. jſ. sive XVIII. Unciarum, consentiente Maſſario de Pond. & Mens. lib. 3. cap. 8. qvi eas non simpliciter, ut Simon Genuensis, sed de oleo accipiendas contendit. Verum Gorræus Def. Med. in ξέστης hic Atticum intelligit, qvi Romano ℥ij. minor erat. Cui Mariana cap. 4. de Pond. & Mens. subscribit. Galenus qvoqve huic sententiæ patrocinari videtur, qvi lib. 1. de Comp. s. g. cap. 16. cum libræ mensuralis & 8. Unc. statuit. Qvod Portius Librâ & Besse circumscripsit. Pæto cum peritioribus XX. Unciæ Mensurales Sextarium efficiunt: Sed qvi cum Portio & H. Barbaro Ponderales potius qvam Mensurales intelligendas censet, qvas Oribasius, Julian. Apostatæ Medicus, ex Adamantii sententia simpliciter totidem ponit. Maſſarius de vino vel aqva accipit l. d. Sed inconstanter admodum. Nimirum, vini vel aqvæ Unc. XXII. olei nunc totidem, nunc XV. aliàs XVIII. sicut mellis modo XXVII. modo XXX. Sextario tribuit. Alciatus in eleganti de Verborum significationibus Libello Unc. XV. adfert, ubi Maſſarius lib. 3. cap. 9. Olei Atticum interpretatur. Hesychium & Isidorum seqvutus cum Neotericis Budæus Unc. XXIV. qvas Grsepsius ℔. ij. expressit, ac Oribasius mellis voluit. Budæi rationes Agricola lib. 1. de Mens. Rom. eruditè sub examen vocavit, qvo Lectorem istarum avidum remitto. Qvi verò XXIV. omninò Mensurales intelligunt. Galeno

enim lib. 6. cap. 8. de Comp. Med. sec. gen. XII. mensurales X. ponderalibus respondent. Cæterum, ne qvem confusio errorem pariat, observatione dignum est, videri Galenum distinctis in locis, lib. 1. 3. 5. & 6. de Comp. Med s g. Sextarios Mensurales, non Ponderales, intellexisse. Qvem pleriqve DD. seqvuti; qvod ij semper immutabiles ac fixi, hi pro diversa rerum Aridarum & Liqvidarum materia atqve gravitate varii; sed qvi vel rei adjectione, vel sermonis consvetudine manifesti. A qva sententia neqve alienum fuisse Columellam lib. 12. cap. 21. verisimile est, qvando Unciæ mensuralis meminit. Qvibus etiam cum Agricola & Mercuriali, veritatis & vetustatis cultu, libenter annuo: licet præter Portium, Budæum qvoqve Alciatum & Marianam, omnes viros magnos, dissentire videam. Veritas enim suffragiorum pondere, non numero, eminet. Multorum loco vel hoc Frontini unicum esto: qvæ mensurâ continentur, certa & immobilia sibi congruere. Pondere autem res mensurales differre, nemo negabit credo, qvi unâ eademq; mensurâ rebus diversissimis repletâ, varia qvoqve pondera prodire animadvertit. Si igitur solus Ponderalis Sextarius olim erat receptus, qvid vetat, qvò minus tot Sextarii, qvot res specie ac numero distinctæ, fuerint. Horum autem nullum apud veteres vestigium. Nec sanè Imperium optimè constitutum, damno publico, ejusmodi ἀταξίαν enormiter admisisse censendum. Qvod si amicè diffidentium favori hic ob insignem utriusqve partis autoritatem velificandum: mode-

ratim

ratior Pæti ſententia videtur, qvâ commodè explicatis reductisqve in concordiam diſſentientibus primâ fronte Galeni locis, ingenioſius forte qvam verius, tanqvam arbiter honorarius, Sextarium utrumqve & Menſuralem & Ponderalem, ut ſibi mutuò æqvales, aſſerit. Neqve enim levioris qvod adfert conjecturæ eſt: Galenum lib. 1. de Comp. Med. ſ. g. ſolùm Libram Olei Menſuralem pondere examinasſe, etſi nullius inibi liqvoris meminerit. Heram namqve de oleo loqvutum ex Galeni verbis manifeſtum eſt: Olei verò menſuram à vini diverſam; nec oleum menſurâ, ſed pondere & librâ menſurali divenditum oſtendit Cato cap. 12, 15. 142. & 153. Nec veriſimile, Plinium ſervatis (qvod monuit) ſuo more Græcorum nominibus, aliter olei Sextarium intellexiſſe. Qvid ſi Romani, obſervantes oleum aqva vel vino parte nonâ levius, Libram olei menſuralem X. Unciis ponderalibus, adeoqve aqvæ aut vini Heminæ; pariterqve bilibrem Sextario exæqvatam fabricarint? Galenus certè loco jam pridem dicto tale qvippiam innuit. Et Romæ olei menſuram pondere, haud magnitudine ſive capacitate, hodie cum vini menſura congruere conſtat. Ut autem vel hoc demus, qvod ad Galeni examen olei libra menſuralis uncias decem ponderales pependerit; necdum tamen qvod qværitur demonſtratum, duodecim nempe libræ menſuralis Uncias, totidem menſuralibus Sextarii vini Unciis exactè æqvales fuiſſe. Qvum itaqve curioſâ qvorundam penſitatione jam extra dubium ſit, XII. Uncias Menſurales X. ponderalibus æqvari, qvemadmodum

dum & Unciam ponderalem menſurali, in vaſe XX. Unciarum lineis diſtincto; qvod Liqvores ſolo pondere, non menſurâ mutentur, utut Antiqvis Unciæ maximè fuerint menſurales, earumqve XX. vini Sextarium impleverint; ſola tamen conſvetudo Tyrannus obſtare videtur, cur Sextarius non totidem Ponderales aqvæ vel vini Uncias receperit. Hoc forſan argumento Jo. du Boys Obſerv. Pharmac. §. 3. cap. 17. pondere præ capacitatis moderatione neglecto, Heminas olei, aqvæ, vini & mellis neutiqvam diſtingvendas pronunciat. Et Saladinus, vini, aqvæ, aceti, olei ac mellis Sextarium ſemper 30. Unciarum. Satius tamen ponderis qvam menſuræ rationem habuiſſe, ut ſua miſturæ integritas maneat. Porrò, qvemadmodum Romana libra in XII. Uncias, ita Sextarius in totidem Cyathos dividebatur; qvi inde Sextarii Unciæ dicti. Hinc *Sextans* duorum, *Qvadrans* trium, *Triens* qvatuor Cyathorum habendus: & ſic ordinatâ æqvalitate reliqvæ, ut Aſſis, partes, qvarum apud Latinos Poëtas mentio crebrior eſt. Nimis imbecilla idcircò, ne dicam à veritate remota, eorum divinatio eſt, qvi à numero literarum, qvibus ſignata Amicarum nomina, harum vocum rationes deduxere, qvum, vel propriâ ipſorum confeſſione, eæ non magis pocula qvam menſuras denotent. Notæ Sextarii hæ leguntur: S. ℈.). ꞩ. Demetr. Alabald. XE. Iſidor.

Hemina, Iſidoro Emina, vox Italica in uſum Græcorum tranſſumta, licet ex Athenæo lib. 7 jam planum ſit, veteres Græcos Hemina etiam pro Co-

tyla

tyla uſos, unde & pleriſqve Cotylam ſignificat. Ita qvæ Suidæ ſimpliciter μέτρον, Heſychio & Phavorino ἡμῖνα, κοτύλη. Agricola rectiſſimè refragatur, qvum unciâ unâ minor ſit Hemina Rom. qvæ X. Unciarum, ut ex Gal. lib. 5. de Med. ſ. l. manifeſtum; vixqve alibi qvam apud Latinos Græca vertentes iſto ſignificatu occurrat. Aphricano de Pond. & Menſ. Med. *Lanx* appellatur. Eſt autem menſura tam Liqvidorum qvam Aridorum, qvam nomen accepiſſe tradit Pompejus ab ἥμισυ, qvod ſit dimidia Sextarii pars. De qvo etiam Gell. Att. Noct. lib. 3. cap. 14. Unde Græcis ἡμίξεστν, teſtante Græco Ariſtophanis Interprete, in Pluto, cujus verba ſubdere libuit: Κοτύλη ῇ ἐστιν εἶδος μέτρου ὁ λέγομεν ἡμεῖς ἡμίξεστν. Cujus in V. S. freqvens mentio eſt, Mercurial. de Comp. Med. lib 2. cap. 1. Italicam vel Ægyptiacam Arabes ſemper innuunt. Hemina diverſimode conſiderata variat. Pondere ſpectata pendit Unc. IX. olei, X aqvæ, vini & aceti, ſeu potius XII. experientiâ Jo. du Boys §. 3 cap. 17. Seſqvilibram mellis mediam; communiter Unc. XII. Paulò rectius XIII. & ſemunciam. Accuratioribus ſingulorum æſtimatoribus, olei Unc VIII. Drachm. II & Scrip. II. aqvæ, vini & aceti Unc. VIII. Drachm. II. ſiliqvas j. & gr. j. mellis ℔. j. Unc. j. Drachm. VII. ſiliqvas ij. Anonymo Nicandr. Interpr. Græco; ἡ κοτύλη ἔχει οὐγγίας θ. Marc. Empirico & Grſepſio eſt Drachmarum LX. Fernelio ſimiliter continet Unc. IX. cornu libralis. Sed, conſentiente cum Lacuna Th. Zuing. & Jo. du Boys, menſurales; qvum Ponderalium duntaxat VIIſ; Portio lib. de Seſt. Unc. X.

Characteres ejus Græci sunt hi: K. Ꝃ. Ꝃ. K. μ. Romani ↄS. ↄs. ƽ. Voluſ. pag. 64.

Acetabulum Celſo, Plinio lib. 25. cap. 19. Athen. lib. 2. Dipn. Barbaris, ut Guil. de Salicet. *Acceptabulus*. Iſidoro Orig. lib. 16. cap. 25. Acitabulus. Traducta voce à menſis ad menſuras, imitatione Græca ab aceto, ſeu æmula qvantitate vaſculorum qvibus acetum embarumatis loco apponitur. Græcis easdem ob cauſas ὀξύβαφον & ὀξύβαφος. Sic enim Heſychio: ὀξύβαφον τὸ σκεῦος, & Suidæ pariterqve Phavorino, τὸ δεχόμενον τὸ ὄξος. Hinc Fannio Oxybaphus. Iſidoro l. d. ineptè Oxifalus, qvi ab Acetabulo diverſum ponit. Menſura tam Liqvidorum qvam Aridorum, eſt qvarta Heminæ pars, Marc. Empirico, ſive ſesqvicyathus, hoc eſt, Unc. ij. & Drachm. ij. obverſatione communi. Aliis Unc. duarum & dimidiæ. Græco Nicandri Interpreti loco ſæpe allato, τὸ ὀξύβαφον ἔχει οὐγγίας β′. al. Ab Atticis tantum XV. olei Drachmas continet. ℥j. & ʒvij. Mercurial. d. l. cap. 2. Græcis ita ſignatur, ℥. ℥o. Iſid. l. d.

Cyathus, Barbaris Bickarium, Eſth. cap. 1. §. 1. de form. med. forſan à Germanico Becher. Arabib. corruptè Alcuatus & Alcuatum, item cuathum, mutatá in tenuem aſperâ, nomen duxit, παρὰ τὸ χύω, Suidæ, à fundendo nempe, vel, ut aliis placet, hauriendo vino in Græcorum conviviis, ubi ſimpulo ſacrificiis relicto ſucceſſit: Unde à Græco κυαθίζω, Plauto in Menæchm. Act. 2. Sc. 2. cyathiſſare, idem qvod Propertio ad cyathos, & Juvenali Sat. XIII.

Syc-

Svetonio ad cyathum ſtare, hoc eſt, pocula miſcere, ſeu ritu veterum conviviis ſolenni, cyatho poſcentibus convivis potum admetiri. De qvo rei literariæ Dictator Scaliger de Cauſ. Ling. Lat. cap. 123. Svidæ preſſius cum Phavorino, *αὐτληττήριον*, *μέτρον ὑγροῦ.* Heſych. *μικρὸν μέτρον*, *ἢ αὐτλητήριον.* Menſura eſt tam Aridorum qvam Liqvidorum, non, ut qvibusdam viſum, poculum vulgare, verùm Sextarii pars octava: Sed ad Drachmarum pondus decima, ſecundum Atticos duodecima Simlero & Menæ cap. 17. Qvomodo Plinius lib. 21. accipit. Oribaſ. lib. 2. Synop. cap. 58. Drachm. XII. obſervatione communi, cui Fernelius ſubſcribit, qvibus addit Ægineta ℈iv. qvod Angelocrat. ℥jſ. ʒj. & ℈j. expreſſit. Sæpe dictus Nicandri interpres *περὶ μέτρων*: *ὁ κύαθος*, inqvit, *ἔχει μνᾶς μικρὰς, ἤτοι μύστρα μικρὰ δύο. τὸ γὰρ μύστρον ἔχει σταθμὸν σταγίων τριῶν, ἤτοι οὐγγίαν ἥμισυ. ἐν ἄλλοις δὲ φασιν ὅτι ὁ κύαθος ἔχει σταθμὸν οὐγγίας μιᾶς ἡμισείας.* Heſychius *οὐγγιῶν β΄.* adſtipulante Phavorino & Fuchſio, qvi ad cap. 6. Sect. 1. Antidotarii Myrepſ. notat Nicolao eſſe Unc. ij. etſi veteribus Græcis pro diverſa liqvorum ratione variet. Unde Nota ejus Romanis C. Ͼ. TI. Voluſ. pag. 64. Græcis Ꝃ. Ƙ. κ°. KY. Iſid. lib. 16. cap. 26. Reſtitutio loci Aetii, videatur apud J. Heurnium cap. 7. de ocul. Aff.

Lib. V. cap. 19. vulgata Celſi lectio habet *minus cyathum.* At alibi nuspiam hoc genere protulit. Nec ullus minoris meminit. Legendum iccircò

videtur, *minus cyatho.* Qvomodo Autor etiam l. d. cap. 21. usus, ut idem qvod intra cyathum velit.

Sesqvicyathus lib. 5. cap. 19. ut alibi *Sescuncia.* Acetabulo menſurâ æqvivalet. Ubi notandum ſesqvi pro hemiolo accipiendum, qvod tantundem & ſemis ſignificat, Bud. de Aſſe lib. 1 f. 1.

Medio inter Pondera & Menſuras loco vocis & uſus ambiguitas *Nucem* locavit. Maſſario nomen ejus ad Pondera potius qvam Menſuras ſpectare videtur. Menſuris eam accenſet Heurnius lib. 1. Meth. Prax. qvi ruſticis mole nucis, ut qvondam Fabæ Ægyptiacæ, res menſurari tradit. Cui Celſum accedere deprehendo, qvando lib. 5. cap. 23. Antidoti Mithridatis imperat qvod magnitudinem nucis Græcæ impleat.

Nux parva, Maſſar. minor Mercurial. lib. 1. cap. 4. ignoto Græco, *Pontica*, Avellana, Heurn. Tab. 4. ad Meth. Pr. Cochleare parvum Maſſario de pond. & menſ. lib. 3. cap. 37. Valet Drachmâ communi: aliis Drachma & ſexta ejus parte, hoc eſt, Obolis ſeptem. Sorano ʒij. Græco Anonymo ʒv.

Magna Nux, ſive *cochleare maximum verum*, Barbaris, ut Gvil. de Saliceto, nux majoris magnitudinis habens nigredinem Avellanæ. *Regalis* ignoto Græco, ab excellentia, qvod è Perſia à Regibus juxta Plin. translata. *Juglans* Latinis, qvibus idem qvod Semuncia. Marc. Empirico *Tetraſarius.* Arab. *Sextarius*; Cleopatræ τετράδραχμον. Communiter IV. Drachmas pendit. Avicen. & Serap. ʒij. & ʒ. huc

hoc eſt, Obolos XIV. Gr. Nicandri Scholiaſtæ eſt VII. σταγίων, hoc eſt, ℥jx. & ℈j. Cleopatræ ℈jv. Sorano ℥ij. & ℈j.

Nux abſolutè poſita, annotante Maſſario l. d. cap. 35.

Majoris autem qvantitas, partim locorum diverſitate variat, partim uſus, qvod cum cortice, ſecus qvam ſine eo, multum ponderet, Mercur. l. d.

Græca autori noſtro lib. 4. cap. 10. fructus videtur, idem qvi amygdala, ut è Plin. lib. 15. cap. 22. minimè obſcurum eſt. Numero æſtimatur. Alibi, ut lib. 5. cap. 23. pondus, qvod valore forſan par Ponticæ. Sed hujus varietas Scriptores cum aliis ſpeciebus in diverſa traxit.

De Romanorum Ponderibus & Menſuris tantum ad Autoris illuſtrationem breviter. Certa enim in paucis, maximumqve hujus argumenti robur Autoritas; ita tamen ut nervi atqve artus ſapientiæ, nihil temere credere. Eapropter exqviſitiorem de primo ſingulorum ortu, de mutua eorundem proportione, varioqve extra Medicinam uſu, contemplationem eorum ingeniis relinqvere æqvum fuit, qvi omnem curam per iſta laudabiliter extenderunt. Cujus magnitudinem nemo rectius æſtimarit, qvam qvi, præter diverſas graviſſimorum Virorum ſententias, vetuſtioris menſuræ defectum, obſervavit, qvem ſola fermè Italia, florentiſſima Muſarum ſedes, indubitatis adhuc exemplis ſupplet. Minutiora ſi qvis deſiderat, Scriptorum patriam, ſeculum, ipſiusqve miſturæ vires, expendat;

dat; qvanqvam ab Autoribus Regio nonnunqvam studio omissa, interdum obscurè nimis prodita, qvandoqve etiam variata deprehenditur. Optandum qvidem fuerat, hic eadem qvâ alibi felicitate Autorem nostrum Divini Senis candorem expressisse, qvi Pondera & Mensuras non Notis, sed apertis nominibus, tradidit. In qvam sententiam illustris Cedreni in Basilio locus extat, qvanqvam instituto à medicina alieno, rarò tamen justitiæ exemplo. *Animadvertens (porrò occasionem maleficis pravis hominibus eo dari, qvod Numeri, qvibus verbi gratiâ Semissis, Sextans, Uncia & similia designantur, per Notas recepta antiqvitus consvetudine, scriberentur: Loco Notarum literis uti jussit, qvas etiam rustici legere possent; & de suo sumptus in chartas, literas, atq; scribas ipse suppeditavit.* Sed communem errorem dum errare maluit Celsus noster, ista Artis arcana non vulgari modo propositurus, posteris semel incautè obscuravit. Notæ enim illæ, vel diuturnitate ævi obtritæ ac deletæ, vel Librariorum negligentiâ aut temeritate mutatæ sive transpositæ, vel sæpè infelici Correctorum industriâ vitiatæ, aut Typographorum ignoratione penitus omissæ, innumera in Celsum παραχαράγματα invexere. Qvæ ne ulli tenebras offunderent, præter fidam istorum ex MS. emendationem, neve horum ignoratio tot Remedia longo vett. usu probata infelici eventu contaminaret, summatim plana, ut spero, hic omnium ratio reddita fuit; adjectis etiam reliqvorum ejusdem literaturæ characterismis, qvæ heic velut in Catoptro ita sub uno aspectu proponere volui, ne in arduis feli-

feliciori qvoqve aliorum induſtriæ ſperata meritorum commendatio deeſſet. Ignoſce mi Lector, ſi Tibi non ſatisfecerim, qvi mihimet nunqvam potui.

Voluiſſe ſat eſt.

Nec ſcire fas eſt omnia.

MENSURÆ.

SEXTARIUS. S. ɔ. 𝔖. XE. 8. 𝔖. 𝔖.

Aridorum. ℔. j. S.

Liqvidorum, duarum Heminarum.

Ponderalis Arabicus ℥ſ.

Italicus { olei. / vini, vel aqvæ / Mellis. } Unc. { XVIII. / XX. / XXVII.

HEMINA. K. Ꝃ. Ꝃ. Ꝃ. ꝃ. Græc.

ƆS. ϟ. Rom.

ACETABULUM. ΞΟ. Græc.

Olei ʒxviii.

Vini ℥ij. & ℈xij.

Mellis iij. ℈ix.

CYATHUS. Gr. Ꝃ Ꝃ KY.

Ro. C. Cɔ. II.

Olei ʒxij.

Vini ℥j. S. ℈iv.

Mellis ℥ij. ℈ij.

SESQVICYATHUS Celſ. lib. 5. cap. 19.

Acetabulo æqvivalet.

LIGU-

LIGULA. Colum. lib. 12. cap. 21. Plin. lib. 20. cap. 13.
ʒiij. ℈j.

CIGNUS. Apic. lib. 10. cap. 6. & 31.
ʒij. ʒij.

COCHLEARIUM.
Parvum ʒj.
Magnum ʒij.

AMPHORA capit octo congios. {olei, vini, mellis} ℔. {72. 80. 108.}

CONGIUS senos Sextarios. {olei, vini, mellis} ℔. {9. 10. }

PONDERA.

PONDO. AS. Libra. Natin. P. [illegible]. [illegible]. [illegible]. [illegible]. [illegible]. [illegible]. X. ═. [illegible]. [illegible]. N. Græc. Δ. Λ. [illegible]. [illegible]. [illegible].
Unc. XII.

BES. S. [illegible] [illegible] [illegible]. S. [illegible].
Unc. VIII.

SELIBRA. Sembella.
Græc. ς″.
Lat. S. SS″.]. [illegible]. S. [illegible]. [illegible]. [illegible].
Scribonio [illegible].

TRIENS. p. 3. vel 3. ══ ══. 3. S. [illegible]. SS. [illegible].
Unc. IV.

QVA-

QVADRANS. ≡. ≡. Ȥ. 3°. ꞩꞩ. =–. T. ⁘.

Unc. III.

P. SEXTANS. Celſ. lib. 5. cap. 19. & 25. ═.
Ʒ. Ʒ. S. ȣ. Z.

Unc. II.

SESCUNCIA. p. z z. Z. Ƶ. ƚƶ. ÷. ƩI. ÷.

UNCIA. Græc. Ꞅ. Ɛ̇. ȣ. Ƶ. S. ꝏ. θ.

Rom. ÷. —.

Drachm. VIII.

SEMUNCIA. E. Ɛ) Є. 'S. Ƶ. Ɛ). Ɛ.
S'. ȣ. Ƨ.

DUELLA. G. V. IƆ. LL. ωƆ. V. ≡. IƆ. ꞬƧ.

Scrip. VIII.

SEXTULA. \. v. \ᵖ. ꞩꞩ. ƆC. Ƹ. V. Ə. 4.

Scrip. IIII.

DIMIDIA SEXTULA. +. ꞩꞩ. ⱳ.

Scrip. II.

SICILICUS. Ɔ.

Scrip. VI.

SEMISICILICUS. Ƨ.

Scrip. III.

DENARIUS. x. ✱. ✱. X. ✱. Z. X. ✱. 3.
ꝶ. Λ. Δ. <. Σ. Gr.

Scrip. III. ℥

VICTORIATUS. Scrib. Larg. Comp. 85.

S. p. ✱. S. V. V. Λ.

Sesqviſcrip. 1℥.

FABA Ægyptia, ſive Alexandrina Victoriato reſpondet.

Syra Scrip. II.

Græca Scrip. I.

Romana Celſ. lib. 5. cap. 25. Latina Sorano Epheſio Iſag. Med. cap. 24. ℈ſ.

LUPINUS. ℈½.

ERVUM. gr. IV.

GRANUM.

SCRIPULUM. Oboli duo. ℈. SS. [illegible]
gran. XX.

SEXTANS DENARII. Celſ. lib. 5. cap. 17. ℈ſ.

UNCIA DENARII. Obolus. —.

NUX Parva, Pontica, Avellana.
Drachm. I.

Magna, Juglans, Regalis.
Unc. ſ. vel Drachm. vj.

Aure-

Aurelii Cornelii Celsi VITA

à

Clarissimo Viro

Joanne Rhodio

conscripta.

Cornelii Celsi laudabilem in Re Medica operam annis jam mille sexcentis, & qvod superat, Experientia, veritatis prima parens, feliciter probavit. Nec melioris animi qvisqvam ita ab omni humanitate remotus fuit, cui non venerandum tam illustre nomen. At ingenio magis, qvam origine notum; qvam, relictâ soli animo gloriâ, temporis diuturnitas posteritatis memoriæ exemit. Qvamvis enim Romæ vixisse Celsum, ipsius, sive ut aliis visum, Scribon. Largi ad J. Callistum Epistola indicio sit: non desunt tamen causæ, cur addubitem, patriâ, an jure civitatis ipsum Romanis accenseam. Maximeqve, qvum præter hunc, qvidam Julius Celsus Hadriano Imperatori à Consiliis, vel ex aliorum sententia, Alexandri Severi temporibus, Juris scientiâ perhibeatur claruisse. Vid. Spartian. in Hadr. 30 & Pompon. Jc. lib. 2. in fin. de Orig. Jur. & Politianum lib. 5. Epist. ad Jac.

 Mode-

Modeſtum. Eqvidem Celſum Patrem ac Filium Jureconſultis annumerat Hotomannus in Deſcriptione Jurisconſultorum, & Juventium Celſum Patrem ad Veſpaſiani Imperatoris tempora refert Jacob. Gothofred. Hiſtor. Jur. Civil. cap. 7. de Jurisconſultorum ſucceſſione. Idem Celſum Patrem & Filium ſub Trajano, Hadriano, Antonino Pio vixiſſe cenſet. Verùm & Apulejus Celſus Valentis ac Scribonii Largi in Medicis Magiſter occurrit apud Scribonium Largum de Compoſ. Med. cap. 94. & 171. Cujus præter Agricolam Voverius in Apul. Vita mentionem injecit. Niſi fortè cum Cornario in Marc. Empirici Præfat. interpoſito inciſo, Apulejo, Celſo, diſtinctè legendum fuerit. Ita in Præfat. Marcell. & Apulejus & Celſus occurrunt. Volaterranus etiam meminit in Anthropologia lib. 14. Celſi cujusdam, qvi Philoſophiæ Stoicæ ſectator, Origenis erat adverſarius, magiæ ſcientiâ notus, cui Lucianus Pſeudo-Mantem inſcripſit. Ejusdem qvoqve nominis ibidem, imperante Nerone, è Galliis puer novennis martyrio nobilitatus. Numo etiam innotuit apud Auguſtin. Dialogo 5. de Num. Celſus qvidam III. Vir. Noſter autem Auguſti ævo floruit, ex qvorundam ſententia, inter qvos Jo. Britannic. in Juvenal. Sat. 6. & 7. Ovidii autoritate, vel ut Jo. Cajo placuit, Cl. Tiberii, A. C. 29; aut certè Caji Imp. conjecturâ Sambuci, Viri Antiqvitatis notitiâ clariſſimi. Major tamen eruditorum pars ſub Tiberio vixiſſe, vel fortè ipſo imperante natum usqve ad Trajani tempora vitam produxiſſe cenſet; qvamvis & ſub Nerone vixiſſe putet Thom-

Fienus

Fienus. Ut uno ſeculo vetuſtior Galeno videatur. Cæterum, non levem hic de Patria ejus dubitandi occaſionem præbet Cæl. Rhodiginus, qvi Antiq. Lect. lib. 14. cap. 5. Veronenſes, ait, cum Macrobio, Vitruvio, & Plinio, Celſum qvoqve ſuum ortu civem agnoſcere. Librorum inſcriptionibus hujusmodi divinationes ſtabiliri aſſolent. Sed exigui momenti munimento. Notius enim eſt, qvam ut pluribus confirmetur, Librorum titulos Literatoribus & Librariis arbitrarios fuiſſe, vixqve veterum qvempiam ulli ſuorum Commentariorum qvidqvam prænotaſſe, referente de ſemet id ipſum Galeno lib. 7. Meth. Med. cap. 1. qvi id officii ab Amicis habuit: haud dubiè iſtius ævi modeſtiâ, qvod ingenia admiratione ſuperiora protulit. Sed enim, ut mala exempla ex bonis initiis orta: Ita ex æmula, in conqvirendis magnorum ingeniorum monumentis, Principum munificentia, accreſcente paulatim Librariorum avaritiâ, omnes propè optimorum etiam Autorum præſcriptiones impunè, ad lucroſam cujusqve libidinem, immutatæ, ne dicam adulteratæ.

Atqve ut ad Celſum redeam; qvot ejus hodie Editiones, tot fermè Inſcriptiones diverſæ. Cæſarii habet, *Aurelii Cornelii Celſi de Re Medica VIII. Libri* eruditiſſimi. Vulgatæ Lugdunenſis omnes, & Leydenſis modeſtius ſine phalerato encomio A. C. C d. r. m. l. 8. Horum priorem Cajus ſic mutavit: *Aurelii Cornelii Celſi Romani de Re Medica Libb. VIII.* pereruditi. H. Stephanus in ſuo exemplari cæteris Medicinæ Principibus adjecto receptæ lectioni ſubdi-

 dit;

dit; Operis ab eo ſcripti pars Sexta. Vett. Codicum MS. autoritatem ſecutus, qvibus communis hæc inſcriptio: *A. Cornelii Celſi Artium Liber VI.* Nihil tamen hic præter conſilium & rem ab ullo temerè factum. Patriam enim ſive Autor ipſe ſive alius qvispiam addiderit, id certè non caret vetuſtatis exemplo, potiſſimum apud Græcos, qvos inter Celſus ſibi *Hippocratem Coum* inprimis imitandum propoſuit, cujus etiam pleraqve non infeliciter Latino ſermone reddidit, ſuam ipſe teſtatus in Epiſt. ad Pul. Natalem, in hoc ſtudiorum genere diligentiam, longè accuratiorem, qvam Largii deſignationi, qvi Ep. ad filios ſe fuiſſe liberiorem fatetur, qvemadmodum notante Cornario in Dedic. Marcelli, in pleriſqve Hippocratem expreſſit, ut integras ſententiarum periodos ex ipſo deſcriptas ſubinde in eo videas; imò tota capita nihil aliud qvam Hippocratis ſententias ad verbum reddunt. Hinc non immeritò Hippocratis Simiam dixit Nic. Monardus, de V. S. in Pleurit. f. 8. Etſi verò Latini Scriptores Patriam haut usqve jactabant: neutiqvam tamen diffitendum, antiqvitus Romanæ civitatis jus glorioſum fuiſſe. Qvo fortè venditores Autorem noſtrum commendare ſatagebant; ſive is meritis & gratiâ civium numero adſcriptus eſſet; ſive Româ oriundus. Poſterius tamen ut credam, ſvadet præter apertum Autoris lib 5. cap. 21. textum, Epiſtola ejusdem ad Calliſtum, & perſvadet ad Pullum Natalem altera; in qvibus inprimis Viri boni genius conſpicitur Imò Marcell. in Præf. Operis Corn. Celſum inter viros illuſtes & cives enumerat, qvicqvid

qvid ei imposuerit Verderius Cens. pag. 144. Ejus Columella, Claudii tempore clarus, ut æqvalis aut certè paulò superioris, Rei Rust. lib. 1. cap. 1. sic meminit: *Nostrorum temporum Cornelius Celsus totum corpus Disciplinæ, qvinq; libris complexus est.* Qvem Rusticam intellexisse, verò proximum est. Qvintiliani sententia Inst. Orat. lib. 10. cap. 1. is Vir Eruditus, inter eos Philosophos Latinos, qvos eloqventes literæ Romanæ tulerunt, qvi scripsit non parum multa, scepticos seqvutus, non sine cultu & nitore. Ideoqve ob nimiam novitatis cupiditatem, ejusdem censurâ notatur. Scripta ejus sigillatim prodidit Volaterranus Anthropol. l. d. Cornelius Celsus mediocri Vir ingenio, non solum artem Rhetoricam, sed de re Militari, & de Rusticana, deqve Medicinâ libros composuit. Qvæ omnia J. Dousa æternum gentis & generis sui decus in Sylva Extemporal. hoc Epigrammate venustissimè complexus:

Facta urbana tuo res Rustica munere, scriptis,
Nec minus illustris est Medicina tuis.
Hinc qvoq; Militiæ tractasti commoda Rhetor,
Hoc Martem Musis jungere, Celse, fuit.

Subjungit Polyhistor Italus: *Ad nos nos tantum ejus Medicina pervenit Oratorio more conscripta.* Sed & qvædam Rhetorica ejus nostrâ ætate Sixti Popmæ studio feruntur emissa. Veterinariam qvoqve conscripsisse autor est Mercurialis lib. 4. cap. 2. & Phil. Ingrass Qvæst. de Veterinar. cap. 9. Herbarium verò ei adscriptum, Apuleji potius credit in Vita Apuleji Elmenhorstius. Julium qvidem Celsum inter

ter rei militaris Scriptores enumerat Rob. Valtur. qvemadmodum huic à nonnullis adſcripta ſunt Jul. Cæſ. Commentaria. De qvibus tamen nihil verè conſtat. Varia ſanè ejus eruditio aliud prodere non poteſt qvam Virum ingenuè natum, magna ſeculi felicitate, qvod bonarum literarum erat feraciſſimum. Excepit nempe coluitqve ea ætas Viros ſcientiâ, prudentiâ, ac eloqventiâ ſummos, Tullium, Saluſtium, Catullum, Virgilium, Propertium, Horatium, Tibullum, Manilium, Vitruvium, Antonium Muſam, Ovidium, Livium, Scribonium Largum, Valerium Maximum, Vellejum Paterculum: atqve ſi ſe in Claudii imperium ipſius extenderit vita, Qvintum Curtium, Perſium, Senecam, Silium Italicum, Plinium, Viros omnes conſummatiſſimos, in qvibus tamen poſtremum nonnulli Celſo Juniorem cenſent. Opinionem meam firmat laudabilis veterum conſvetudo, qva tria nomina Nobiliorum, Celſo etiam Plinii autoritate rata, Libertis rarò, nec fermè ſine gravi cauſa unqvam conceſſa ſcimus, qvibus tamen ſemper ſervile nomen remanſit. Nec moror, qvod Celſi Epiſtolæ apud Marcellum in limine Operis Prænomen deſit, qvo ſoli Romani inſigniebantur. Nomen enim apud bonos Autores ſæpe Prænomen & Cognomen includit. Hinc Martialis:

Ut jugulem curas, nomen utrumq; bibam.

Salutaribus itaqve diſciplinis Græcisqve literis, non levi nobilitatis indicio, rectè inſtitutus, facilè potuit ſeculo tam auguſto ac beato, nihil non (ut ipſe in

Epiſt.

Epist. ad Natalem refert) dignum sublimi Romanorum majestate de bono Medicinæ Artis splendidissimè scribere, idqve perennitati & literis maudare, utilitatis magis qvam delectationis causâ.

Scio eqvidem, non deesse multæ autoritatis Viros, qvi ex modò adducta Celsi epistola opinantur, ipsum animo in diversa studia diviso, Græca duntaxat medicinalia in Latinum convertisse, aut Empedoclis & Democriti exemplo, non ut merus atqve ad qvæstum Medicus, sed ut sapientem, atqve, ut Columellæ verbis utar, universæ naturæ prudentem, Medicinam veluti Philosophiæ partem cum sapientiæ studio conjunxisse. Ideoqve nec factam ejus ab Aureliano mentionem Barthio Adv. lib. 38. cap. 3. censente. Nec deniqve unqvam Medicinæ operatum. Credat qvi volet. Nec eam litem meam facio. Medicum certè agnovit magnus Scaliger de Re Num. 36. Remedia qvidem, Hippocratis & Galeni exemplo, aliunde congesta digessisse, ultrò largior, ipsam verò Morborum τέκμαρσιν & θεραπείαν proprio ingenii ductu contextam pro me res ipsa loqvitur. Qvin ipsum Pharmaca præbuisse, non mediocri gloriâ, ex ipsius ad Jul. Calistum Epistola satis liqvet. Qvorum artificiosam mistionem se accuratè intellexisse prodit ipse lib. 7. cap. 26. Unde Cornarus fortassis inter Pharmaceuticos reposuit. Imò deditâ operâ ab aliis prætermissa observavit proferre ac illustrare voluisse censuit Minadrus variæ eruditionis Medicus, de Ext. Aff. lib. 2. cap. 3. Maximeqve Medicum ejus Chirurgica probant,

qvæ Gesneri in Catal. Chir. sententiâ, veterum solus Latinè scripsit, ut verè, ipsum inter Chirurgos reponat doctissimus Septalius Animadv. lib. 8. Caut. 1. & 40. Tantâ verò id fide peregit, ut Hier. ab Aqvapendente Medicus & Chirurgus usu vel annis nemini secundus, in Operat. Chirurg. cap. de Chir. Dent. his verbis sese in ipsius laudes diffuderit: Mirabilis Celsus in omnibus: qvem nocturnâ versare manu, versare diurnâ, consulo. Nec mirum: qvum Celsus eruditissimo Manardo Epist. Medic. lib. 9. Epist. 1. bonus & fidelis Hippocratis interpres, licet in aliqvo verbo qvandoqve lapsus videatur. Qvod Viro in omni literarum genere exercitato vel ipsa πολυγραφία libenter profectò condonari jubet, qvamvis non diffiteatur ipse non pauca se ex aliena qvandoqve sententia posuisse. Horatio pariter Augenio de miss. sangv. lib. 8. cap. 1. Lommio, Ronsseo Epist. Medic. lib. 8. sect. 3. cap. 7. Schenchio, Jo. Heurnio, Bened. Matamoro, Rod. à Castro, innumerisqve præclari judicii Medicis, propter singularem & succinctam cum elegantia doctrinam, Latinus Hippocrates appellatur, in qvo Pantini judicio Comment. ad Celsi lib. 1. cap. 1. optimæ Methodi ac viæ rationisqve docendi discendiqve, & in summa brevitate mira Artis & Sapientiæ observatio plerunqve animadvertatur. Rectè igitur Agricola de Pond. Rom. lib. 4. Celsi, inqvit, autoritas Medicis nota est, aut saltem esse debet. Qvam elegantissimis verbis Cælius Rhodiginus Antiq. Lect. lib. 26. cap. 3. insinuavit: *A Cornelio Celso versuram faciunt multi. Verùm citra illius sententiam nihil fermè*

fermè promunt ; perinde ac verba sint veterum sacrorum, qvæ demutasse piaculare flagitium planè censeri debeat, qvodq; hostiis majoribus procures. Inde Fernelio, Franciæ Hippocrati, referente Plantio in Vit. Fernel. cùm ob orationis puritatem, tum ob sententiarum pondus, qvam charissimus fuit. Jurisconsultis procul dubio iisdem nominibus usqve adeò venerabilis, ut Pandectas suas hujus Viri autoritate muniri voluerint. Verùm, ne nimiis laudibus veriùs is oneretur, qvam ornetur, qvem mortalium nemo rectè vituperavit: unicum Heurnii judicium, incer cætera gravissimum, huic Virtutum coronæ lemnisci loco satis erit. Ita ille Meth. Stud. Med. cap. 5. *Latinos inter Medicos primus est Cornelius Celsus: sed prudenter legendus. Nam in multis Asclepiadem Methodicum sectatur, ut fatetur ipse. Hujus cote stylum subigemus, & pluris Latinitatem ejus qvam Medicinam faciemus.* Unicus itaqve Celsus, ut scitè idem in Epist. ad Ronss. Celso præfixa, Medicis Latinis præferatur: qvi pomœria Romanæ eloqventiæ eò protulit, ut Medicina svavissimo ore eloqventiæ jam sese cultioribus ingeniis meritò commendet.

His qvotqvot naturæ associavit benignitas, æqvos adferte animos, eleganti favete lingvæ. Ita Vobis, & verum animi sermonisqve cultum, & firma valetudinis præsidia parabitis. Tantum est.

Optandum est, ut sit mens sana in corpore sano!

TH. BARTHOLINUS AD LECTOREM.

ABſolutæ Diſſertationi DE ACIA, ſecundo prælo elimatæ plurimumqve auctæ, ſubjungere placet Judicia varia, qvæ ſtatim edito olim libro expertus eſt Vir meritiſſimus, propria ipſius manu ex literis amicorum excerpta, omiſſis ampliſſimis acclamationibus, qvibus Autoris opus proſeqvuti ſunt lingvâ ſuâ Italiæ lumina, Vitellius Archiepiſcopus, Tomaſinus, Eqves Puteanus, Fr. Bern. Ferrarius, Naudæus, Licetus, Allatius, Pona, Mareſius Vincentinus, & alii numero plures. Et, ne perirent, qvas inter Schedas Rhodianas repperi, Epiſtolas familiares Jo. Fred. Gronovii, Viri ſupra laudem poſiti ad Rhodium noſtrum DE ACIA ſcriptas publico concedam, huic argumento facem allaturas. Qvæ dubia in iis videbantur, nervosè ſoluta in ſecundâ hac editione ſuis locis invenies. His omnibus præfigendam putavi Epiſtolam laudati Rhodii ad Illuſtrem Regis Daniæ Cancellarium, Dominum CHRISTIANUM FRISIUM, politam pariter & nervoſam, cui primæ editionis auſpicia debebantur, qvanqvam præmatura morte magni Mecænatis, voto ſuo exciderit Autor. Legi tamen & hic merebatur, ne vel memoria tanti Herois apud nos periret, vel Rhodii ſtudium. Hæc volui neſcius ne eſſes, de applauſu Eruditorum, penes qvos judicandi arbitrium, ſecurus. Vale, & his fruere.

ILLU-

ILLUSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO
DOMINO
DN. CHRISTIANO FRISIO,
TOPARCHÆ IN KRAGERUP,
EQVITI AURATO,
REGIO CANCELLARIO,
ET
REGNI DANIÆ SENATORI.

EGregiè apud Stobæum in Archelao Euripides:

— — τὸ λέγειν
εὖ δεινόν ἐστιν, εἰ φέρει τινὰ βλάβην.

Gravis qvidem cenſura, verùm prudentiæ plena: cui ſtudiosâ officii culpâ me facilè obnoxium putarem, dum ſublimes ingentis animi tui curas à gravioribus negotiis ad hæc ſtudia in umbra educata avoco; niſi perſpectus mihi tuus ille Genius, veræ Benignitatis ſolidæqve Prudentiæ poſſeſſor, variæqve Eruditionis amicus, paratiorem dudum intempeſtivæ compellationis indulgentiam ſponderet. Qvanqvam enim propitio Muſarum contubernio eâ ſedulitate ampliaſti raras Naturæ dotes, eâ ingenii moderatione Minervæ ac Marti litaſti, ut qvoniam fortiter & prudenter geſſiſti omnia, maturo AUGUSTISSIMI REGIS CHRISTIANI IV. judicio credita ſit tuis conſiliis maximarum rerum cura: nunqvam tamen parandis ſervandisqve publicæ tranqvillitatis præſidiis ita invigilas, qvin animum negotiis circumſeſſum literis amœnioribus qvandoqve laxes, qvin gravioribus firmes. Neqve

Tibi soli hanc laudem vindicasti; sed plurimorum qvoqve animos in hæc studia invitas eâ dignatione; ut exactam teneas eorum rationem, qvi domi forisqve Virtuti ac Literis ita operantur, ut Sapientiam rerum omnium dominam affectantes summorum virorum sententias non reformident. Qvorum egregii conatus ne adversis vitæ fluctibus frangantur, eâ animos ad magna surgentes liberalitate foves, eâ integritate provehis & attollis, ut gloriosissimo tanti moliminis fructu, non sui ingenii, sed tuæ Virtutis vocibus, eum Te prædicent censeantqve omnes, in cujus manu situm, bonorum ingeniorum fata temperare. Domesticum mihi exemplum est, ne foris qværam. Nam cùm publicis necessitatibus, tum fortunæ nostræ privatæ, animo verè provido consuluisti. Cujus beneficii ut conspectior sit memoria, qvâ soles admissionum facilitate tuis auspiciis tuiqve nominis splendore exile hoc ingenii mei monumentum patere ad plurimorum notitiam pervenire. Votis qvidem sunt hæc longè inferiora, si limatioris judicii specimen exigis; sin affectus ingenui aut venerationis speciem, tuâ humanitate non indigna. Sed neqve tam ad judicii tui sinceritatem exiguntur ista, qvàm à tuo patrocinio non exiguum sibi auctoritatis incrementum pollicentur; licet utrumqve à tuo animo, ut aliarum virtutum sic veritatis præcipuè amantissimo, bonâ fide sperari possit. Nullus enim Tibi labor unqvam, Vir Maxime, pectus lassat, qvin apud literarum consultos novis beneficiorum occasionibus benè merendi materiam cumules, qvi bonas

nas Artes in oculis, in animo geris; qvi eum Sapientiæ Myſtis locum præbes, ut literæ ſeneſcentes ſub Te ſpiritum & ſangvinem receperint.

Creſcite Virtutes, fœcundaq; floreat ætas.
Ingeniis pateat campus, certusq; merenti
Stet favor; ornatur propriis induſtria donis!

Verùm, ut ad modeſtiam tuam maximæ virtuti cognatam hæc mea infra honoris tui faſtigium ſubmittat ſeſe tot præclarè geſtorum commemoratio, cui impar verborum mediocritas; Benignitatem tuam officiosè obteſtor, Schedium hoc inconditum ab animo eximiæ Virtutis tuæ admiratore, non à cultu, æſtimes. Qvod grati animi indicium utinam ita felici, qvam congruente, doctiſſimi Imperatoris omine Tibi nuncupo: Ἐὰν μὲν ἔχῃ τι δεξιὸν, αὐτὸς τι ὁ λόγος εὐτυχεῖ, καὶ ὁ ποιητὴς αὐτοῦ τῆς παρὰ τῆς Ἀθηνᾶς ψήφου τὴν μαρτυρίαν προσλαβών. Eam præclaræ mentis gloriam ut bono publico, ad liberalium diſciplinarum incrementa, Tibi literatorum tutelæ providentia cœleſtis nullo temporum ſilentio producat, Deum Optimum Maximum veneror. Patavii Calend. Auguſt. cIɔ Iɔc XXXIX.

Ampliſſimo Nomini Tuo

Devinctiſſimus

JO. RHODIUS.

AUGU-

AUGUSTUS BUCHNERUS, Eloqventiæ Professor Witebergensis 4. Non. Novembr. 1640. ad THOMAM BANGIUM Professorem Hafniensem.

DE RHODII ACIA qvid dicam, BANGI, qvas habeam gratias pro tam selectæ eruditionis thesauro? Habent profectò, habent hîc Philologi & curiosi non tantùm, sed Medici qvoqve ac alii, qvæ admirentur, qvæ notent, & primùm discant. Qvare egregiis modis de me es meritus, qvi nos tam eleganti munere voluisti donare, præcipuè cùm rarioris hujus notæ libri vix ulli ad nos deferantur propter obsessa & infestata militibus undiqvaqve itinera &c.

OLAUS WORMIUS Professor Medicus Hafniæ Calend. Januar. 1642.

DE eruditissimo tuo Tractatu qvid dicam? Diffusam lectionem, stili nitorem, judicii acumen an prius mirer, ignoro. Certus sum neminem fore, modò cum cura, qvam postulat, eum legerit, qvin inter scripta, qvæ hoc ævo nobis tulit melioris literaturæ orbis, palmam ei sit concessurus. Perge rogo, perge inqvam illustri ingenii tui fulgore Scribonio & Celso facem allucere. Mihi certè, Aciam acu tetigisse videris.

D. JACOBUS MATTHIAS Theol. Reg. X. Januar. 1642. ad TH. BARTHOLINUM.

VIdi nuper Dissertationem RHODII DE ACIA C. Celsi, nec mihi à legendo temperare potui, anteqvam totum Scriptum lectione vix interrupta

ad

ad calcem deduxissem. Nescio certè an illum à literis, an à rei medicæ peritia justius commendem, qvum parem utrinqve laudem & gloriam velut æqvalem trahat.

OTHO SPERLING Botanicus Regius Postrid. Calend. Januar. 1642.

ACiam tandem tuam vidi, in qva eximiam ingenii vim ostendisti, & innumeris in illa locis, non tam qvid potueris, qvàm qvid non volueris. Plurimum Tibi certè se debere docti omnes fatebuntur; ego autem non parum per te profecisse me ingenuè profiteor, nihilqve nunc magis in votis habeo, nisi ut ex qvo membris tam malè habitis medicinam conferre occepisti, integrum qvoqve nobis Celsi corpus sartum tectum exhibeas.

WERNERUS ROLFINCK Professor Medicus Jenæ XI. Octobr. 1642.

NIhil magis in votis habui, qvam ut occurreret qvod Scribonium Largum illustraret, meqve simul honoraret. Noli diutius invidere scriptum hoc tot laborum sobolem nobis, qvi illius videndi desiderio flagramus, non vulgariter delectati ornata illa Aciæ enodatione, qvæ in tui admirationem traxit, qvicunqve elegantem literaturam & lucem veritatis amant.

JOAN. MICHAEL DILHERRUS,

Phil. P. P. Jenæ XIV. Calend. Januar. 1643.

CHartas meas de Crucifixione Salvatoris noſtri libro tuo de Acia nervoſiſſimè ſcripto, & à me ſæpius ut par eſt pro cathedra adlegato, minimè reſpondentes, limatiſſimo tuo judicio obſervanter ſubmitto: rogoqve ut ſi qvid in hanc rem indagaveris, amicè mecum in bonum publicum communices.

THOMAS BUCKENHAM Collegii

Cajo-Genuilenſis Socius, Cantabrigiæ VII. Calend. Decemb. 1645.

EO usqve elegantiſſimus ille tuus, qvem tibi gratiſſimus debeo, de ACIA ad Celſi mentem Tractatus ſpem nobis erexit, ut jam Celſum ipſum tua opera à temporum injuriis vindicatum, integrum, purum, celſiſſimum nobismet polliceri audeamus. Nam ut de Diſſertatione tua, qvod res eſt, eloqvar; nihil in ea non ſumme placet, niſi qvod deſinit; qvum tamen deſit nihil. Tam omnes illam admirantur, qvam pauci poſſunt imitari, qvam nemo reprehendere.

JOANNES SMITH Noviomagi

Kalend. Juniis cIↄ Iↄc XLVII.

FIBULA ut antiqvorum olim togas, ita animos utrinqve noſtros aliqva nuper parte confibulavit.

M. AU-

M. AURELIUS SEVERINUS Anat. & Chir. Prof. Neapol. Non. Jun. 1640.

MOnumentum tuum ære perennius, qvod De Acia Fibulaqve exegisti, argumento me Hercules antiqvarum tenebrarum inter omnia refertissimo &c. Obscura Cimmeriis illustrare, Chao confusiora suam in sedem digerere, prisca & exoleta nitori suo restituere; tenuibus sed tamen frugiferis nullam non dignitatem addere: qvicqvid in qvaqve demonstratione subsit perseqvi, & nil intactum relinqvere: hæc & majora me judice, præcellentis ingenii tui sunt specimina atqve experimenta: qvæ toto isto commentario elucent undiqve. Ad summum enim πολυμαθὴς καὶ πολυδαίδαλος non mihi tantum, sed & Doctorum nostrorum plurimis visus es hoc opere &c.

Idem Neapoli Idibus Novemb. 1640.

SCito copiam fecisse me Archiatro Mario Schipano & monumenti tui præclari & datarum ad me literarum, qvi sanè vir admiratus est in te seriò & eloqventiam cum sapientia conjunctam, & ad utramqve accedentes ingenii fœcunditatem ac dexteritatem, καὶ τὴν ἀκρίβειαν, & graves alias scribendi dotes, qvæ sunt hac nostra ætate insolentiores: qvibus tamen tu Rhodi ornatissime præditus es tum arte, tum industria, tum natura, &c.

CASP. HOFMANNUS Prof. Altorfii Calend. Jul. 1640.

MAnebit ACIA, qvod ſine palpo dico, opus immortalitate digniſſimum. Qvod fiet, ſcio, qvantumvis maturè obierit patronus ejus. Suo ſtat robore virtus.

JOAN. CASP. BAUHINUS Prof. Baſil. VI. Kalend. Sextil. cIↄ Iↄc XL.

ELegantiſſimum Tractatum tuum Burcardus noſter, ritè tradidit, pro qvo tibi gratiæ agendæ publico nomine. Ego verò privatim, qvod eo meam Bibliothecam augere dignatus es.

FRANC. MARINUS NEAPOLITANUS SCLEDO XVI. Kal. Octobr. cIↄ Iↄc XL.

TUA me FIBULA ſic confibulavit, ut nunqvam ſim me reſibulaturus, donec in vivis.

JO. ANTONIDES van der LINDEN Prof. Med. Franekeræ Id. Novembr. cIↄ Iↄc XL.

DOctiſſimi tui Scripti de ACIA ex Celſi mente cis paucos menſes accepi exemplar. Legi & mirari ſatis neqvivi multifariam iſtam tuam lectionem, & in colligendis autorum teſtimoniis laborem, in disponendis ingenium, &, qvod caput facio, in tractanda re, qvam omnes ſteriliter tractarunt, & pauciſſimis expediverunt, ubertatem judicii tui firmiſſimi, ſolidiſſimiqve in Celſi mente aperienda,

rienda, ac stabilienda; ut nihil amplius dubii esse reliqvum possit, rationum tuarum pondera in primis examinanti, aut innumera testimonia perpendenti. Unum addo, victurum istud opus tuum, & haud dubie qvidqvid ab ingenio tuo.

JOAN. FRED. GRONOIUS

Venetiis VI. Kal. Maj. cIↄ Iↄc XLI.

Libellum tuum cœpi diligenter evolvere, plenum sanè variæ doctrinæ, & dignum, ut nomen tuum præferat.

JO. ANDREAS SCHONGARDUS DANUS

Constantinopoli 18. Jan. 1641.

Liber curiosus, & refertus omni genere doctrinæ.

PAULUS MARQVARDUS SCHLEGEL

Prof. Jenensis 4. Maji 1641.

De Acia librum legi, & mecum alii præsertim Dilherus noster. Miramur laborem & lectionem, inprimis autem judicii sublimitatem, qvæ omnibus eruditis facem prælatura est; tanti etiam à Dilhero æstimata, ut non rarò de tua laude publica hîc subsellia testentur.

BENEDICTUS PRIOLUS

Genevæ Calend. Jun. 1641.

ACIA tua hic omnibus nostris Medicis placet. Mihi certè videtur dignum eruditionis tuæ multijugæ & judicii monumentum. Perge, & al-

tius culmen mihi crede te manet. Valet opus, & fallor, aut hoc aget penna metuente ſolvi fama ſuperſtes. Præter ſolida, mihi placet, qvod paſſim Muſeo contingis cuncta lepore.

RENATUS MORÆUS Profeſſor Pariſiis & Conſil. Reg XII. Calend. Auguſt 1641.

LEgi lubentiſſimè Diſſertationem tuam elaboratiſſimam de AGIA, in qva omnia mihi valdè probantur; nec aliud judicium à Viris Doctis audivi.

Clariſſimo Viro

JOANNI RHODIO DANO

JOH. FRIDERICUS GRONOVIUS

S. P. D.

ECce Tibi, Vir præſtantiſſime, ortas nobis, dum Diſſertatione tua erudimur, ſuſpiciones, vitreis fractis & ſomniorum interpretamentis leviores: qvæ ubi minimè expectationi tuæ reſponderint (qvanqvam qvid exſpectare à nobis tu qveas?) tibi impures licet, qvi bovi impoſuiſti citellas. Ego in his ſtudiis nihil poſſum ſine librorum copia, & memoria non tam benigna eſt mihi ad tenenda in numerato arcana illa literarum, qvam ad recordandum ubi ea recondita ſerventur. Si illa ſupellectile noſtra inſtructi fuiſſemus, fortè ſuggeſſiſſemus nonnulla, qvæ non qvidem ad caput rei, ſed tamen ad

parerga

parerga & comtum tibi serviſſent: nec ad hunc qvoqve, qvod revera iis opus fuiſſet, ſed qvod tu pro ſimplicitate tua ac ſtudio in proprium fœtum ea neceſſaria credidiſſes. Silvæ tuæ MS. multum mihi profuerunt. Inveni aliqvot conjecturas meas confirmatas, qvod non parvum noſtris laboribus eſt ſolatium: inveni & materiam aliqvot novarum obſervationum. Qvo in numero eſt, qvod libri ſecundi primum poëma, *Epicedion in Glauciam Melioris*, ibi inſcribitur: *Glaucias Atedii Melioris dedicatus.* Uti & VI. ejusdem libri, *Epicedion Pileti Urſi*, præfert: *Conſolatio de morte pueri dedicati.* Delicias proprio verbo appellabant pueros iſtos, ut dubium non ſit, illic ſcribendum, *delicatus*, hic *delicati*: eamqve ipſius Statii fuiſſe inſcriptionem ab imperitis mutatam. Apud Svetonium qvoqve, ſi rectè memini, in Veſpaſiano *Delicata* appellatur ſcortum, qvæ in deliciis fuit. Hæc qvantivis pretii & veriſſima eſt obſervatio. Sic in Via Domitiana:

Ceu feſſis ubi remigum lacertis
Prima carbaſa ventilantur aura.

In MS. eſt, *Primæ*, & *ventilantis auræ*, qvod & Domitius Calderinus in ſuis reperit, & habet Codex Venetus. Unde corrigendum eſt: *Primæ carbaſa ventilâtis auræ.* Eſt enim apoſtrophe ad ipſas auras, qvas alloqvitur ceu intelligentes. Ut in eodem poematio: *Nunc velocius ibitis carinæ.* Et Ovidius: *nec vos ſegmenta reqviro.* Manilius: *Et qvi vos, ignes, immiſit mille carinis.* Sunt & alia his non minus elegantia. Qvæ gaudeo occaſionem mihi dediſſe in alia editione

tione Diatribæ noſtræ, ſi per fata licuerit, amicitiam noſtram conſecrandi. Velim ſcire an posſis ibi nanciſci Panegyricorum Latinorum, qvi Pliniano ſolent adjungi, editionem ab J. Lirinejo Antverpiæ in 8. aut ab Grutero cum utriusq; ejusdem & Acidali notis Francofurti in 12. procuratam. Si reperietur, habeo nonnulla de qvibus rogem te, ne & textum & ipſorum commentaria inſpicere graveris. Vale ὦ θαυμάσιε & Cl. Viris Sojero, Ferrario, Vezzano, Weslingio etiam τῷ πάνυ, cujus gloriæ tanto faveo promtius qvanto patriæ noſtræ ortu eſt vicinior, per occaſionem me commenda. De prioribus meis nihil addo, ne curæ tuæ diffidere videar: niſi qvod Illuſtrem Scioppium, qvem primo loco nominare debueram, omni cum obſervantia ſaluto. Iterum Vale. Venetiis prid. Kalend. Maj. Anno Chr. cIↃ IↃc XLI.

Pag. 8. cap. IV. edit. Patav. Vix perſvadear principem ſignificationem fibulæ eſſe Architectonicam. Veſtiaria potius eſt, atqve ab hac deducta translatione, & in arborum cura & in corpore humano & ubicunqve alibi ligaturæ illæ, qvæ rotundo aliqvo ſeu circulo ſeu operimento tegunt acum, ſeu acus vicem ad comprehendendum qvaſi forcipes, fibulæ appellatæ ſunt. Vel iſto argumento uno qvod antiqvisſimi Græcorum & Latinorum qvivis veſtiariæ meminerunt, cæterarum tardius reperitur mentio. Qvin ſi ipſa forma & uſus conſideretur, propter qvæ ſcilicet idem vocabulum diverſis rebus eſt communicatum, prima ſunt utiqve

in

in veſtitu: id qvod maxime apparet in Architectonica, cujus loco apud inelegantiores rudioresqve fuit ſimplex clavus: illa Catonis ad comprimendas arborum rimas effecta eſt ex illarum ſpecie, qvas ſine acumine aduncas reperiri notaſti p. 45. & qvalis fuit illa verpi apud Martialem. Fortaſſis clarius hoc poſſet demonſtrari, ſi ipſi autorum loci in promtu eſſent, qvos ego mallem videre qvam Commentatorum conjecturas. Et auctor ſum, ut in ſecunda editione verba Catonis, Cæſaris, Vitruvii adſcribantur.

P. 13. In idiomate Saxonum Fibel ſine dubio deſcendit à Græco βίβλος, qvod ſcilicet hic ſit primus Liber cui initiantur parvi. Qvemadmodum Bibel dicimus ἀπὸ τῶ βιβλίων.

P. 14. Non intelligo qvid velit Papias illo: *nec ſtabiles*.

P. 27. De loco Ammiani videnda editio Henr. Valleſii accuratiſſima. Is enim, niſi fallor, melius ex MS. eum locum correxit.

P. 30. Addi poteſt Statius in IX. Theſ. *tereti ligat aurea morſu Fibula pendentes circum latera aſpera amictus.*

P. 42. Lunularum in muliebri ornatu mentio eſt apud Eſaiam cap. 3. v. 18. & ex eo apud Cyprianum de habitu & diſciplina Virginum: & cincinnos & lunulas & diſcrimen, & armillas. Nam ita legendum ex MS. non diſcriminalia, notamus lib. III. Obſ. cap. 24.

P. 49. Eſt in Hollandia Vir doctus Johannes Smetius, Paſtor Noviomagenſis: qvi in pinacotheca ſua, ſupellectile veteri & nummis inſtructiſſima, ultra qvingentas poſſidet fibulas, mirificis qvasdam formis. Habeo eruditam ab ipſo epiſtolam, in qva rariores accuratè mihi deſcribit, & ſi operæ eſt, libenter mittam.

P. 51. In loco Philoſtrati ſcribendum, κόμην, & πλοκαμίου, vel πλοκαμίων.

P. 58. Locum Ennodii latius videre velim. Neqve enim capio qvomodo fœnus agrorum qveat dici Fibula.

P. 62. Apud Schol. Æſchyli annon leg: Καὶ χρυσέοις κρίκοις διαπεπερονημένος.

P. 68. Valde dubito, an per Barbaros apud Thucyd. intelligi poſſint Romani Pugilatus & lucta ſero ad eos à Græcis devenerunt. Et ævo Thucydidis parum adhuc commercii.

P. 112. Apud Senecam leg. *corpus cauſſarium & fluidum.* Sic reſtituit Lipſius: & nos idem in ſcripto Codice Britannico bonæ notæ invenimus. Noſtis Medici, qvid *cauſſa*, qvid *cauſſarium* ſit veſtris magiſtris. Nos duo loca Senecæ, unum Tertulliani, qvæ in re tam vulgari negotium fecerant ſupinis editoribus, inde reſtituimus lib. III. Obſ. cap. 14. Non opus tamen hæc addi: ſufficit citari *Cauſſarium.*

P. 143. Valdè peccarunt, qvi dubitarunt de Celſi *transſuit.* Eſt enim elegantiſſimum: & nos ejus exemplo emendandum docebimus apud auctorem Thebaidos in Tragœdiis Senecæ: *Calidoq; teneros*

ros transsuit ferro pedes. Ubi pleriqve vet. Codd. *transtulit*, nunc vulgatus, *transdidit*. At illud nobis in vetustissimis & inculpatis membranis inventum. Uti & jam olim Lipsio, qvi tamen probare non est ausus. Qvasi verò non dixerit Ovidius lib. II. Fastor. *veribus transsuta salignis*. Uti omnes ferè MSS. (qvinqve aut sex contulimus ipsi) & jam editiones correctiores.

P. 180. De nodo Palæstrico nos multa ad Statii in III. Silv. Herc. Surr. *manu*, *Libycas nodare palæstras*. Ubi antea vulgo, *nudare*. Atqve hanc conjecturam confirmatam nuper inveni in edit. Veneta Anno 1475. qvam contuli in Bibl. Patrum Dominicanorum Flor. ubi expressè *nodare*. Est autem illa prima editio ac MSS. par.

P. 187. In loco Statii describitur Parthenopæus exuens chlamydem & se nudando ad cursum expediens. *Diffibulare* est enodare & aperire fibulam, ut discingere est cinctum solvere. Ergo *torto auro diffibulat chlamidem* est, flexo & paulum ad commoditatem referandi retracto auro fibulæ, chlamydem solvit & exuit.

Apud Ovidium lib. XIV. Metam. in Fabula Pici, Ob. Gifanius (indice Lucretiano in *contactus*) legit: Phœniceam fulvo chlamydem contactus ab auro: qvia invenit in MS. contractus. Id qvod nos qvoqve in melioribus invenimus, nec mutandum est. Aurum enim hic non qvo passim contingi aut distingvi chlamys potuit: sed Fibulæ. Ita enim mox Ovidius:

Purpureum chlamydis pennæ traxere colorem,
Fibula qvod fuerat vestemq́ momorderat aurum
Pluma fit, & fulvo cervix præcingitur auro.

Euripides Electra:

— πρὸς δ' ἕδρας Ἀσπίδες
Δμωαὶ σατίζουσ', ἅς ἔπεμψ' ἐμοί πατὴρ,
Ἰδαῖα φάρη χρυσέοις ἐζευγμέναι
Πόρπαισιν. —

Sed & sunt loci apud Græcos, in qvibus eodem sensu *συνάξαι* legitur, qvô ibi contrahere Lib. III. Obs. cap. XVIII.

Viro Clarissimo

JOANNI RHODIO
JOHANNES FREDERICUS GRONOVIUS
S. P. D.

Mirificè me exhilararunt literæ Tuæ, Vir præstantissime, qvas tanto jam tempore ignarus vestri rerumqve vestrarum nuper admodum accepi. Nos verò qvando Veslingii *lapsa externis opobalsama truncis*, (uti qvidem legendum apud Martialem primi observavimus ad Statium) qvando Argoli Circenses Panviniani delectabunt docebuntqve? Rara fortuna est hæc ad nos pervenire, eiqve adscribo usuram Commentarii Ferrariani; à qvo Viro qvod me amari scribis, id verò mihi gratissimum est. Nimium qvantum desidero Electa promissa: eam salivam movit de re Vestiaria scriptio, cujus me lectione

one plurimum profeciſſe dicerem, ſi aliqvid in literis profeciſſe me agnoſcere auderem. Toga mihi viſa ſemper unum ex difficillimis Romanæ antiqvitatis capitibus, in qvo nec alii ſatisfaciebant, nec ipſe unqvam, ut ſatisfacerem mihi, ſperavi fore. Sed ingentem lucem & mihi & materiæ attulit doctiſſimi Ferrarii induſtria & ſagacitas: cui dum φοιτητὴν me nuper præbui, iterum non ad dies aliqvot, ſed menſes capaciſſimo amictui ita ſum involutus, ut ſi Clytæmneſtram domi haberem, Agamemnonis caſum timuiſſem. Aliqva tamen extricare me ſum conatus, & πιέζοντα ἐνθυμήματα devinxi verbis in chartam conjectis, qvæ pejus, fateor, perire non poterat, tamen perituræ utiqve, qvoniam in noſtro peculio erat, parcere ſupervacuum duxi. Scribonium in Bibliothecæ Leidenſis Catalogo, qvem ſervo dono Heinſii, fruſtra qvæſivi. Ennodii locus de Fibula pro fœnore accepta eſt haud dubiè corruptus. Cogitabo, & ſiqvidem me deficiet ingenium τὸν οἷον πεπνυμένον Salmaſium in conſilium adhibebo. Fibulam amoris apud eundem habes lib. I. Epiſt. II. Fibulam pro enchiridio non ex Tertulliano ſed ex Paciano notat Barthius. Tamen ἐπέχω, usqve dum ipſum auctorem inſpicere licuerit. P. 78. Apella pro Judæo qvaſi absqve pelle, eſt contra omnem analogiam & conſvetudinem Latini Sermonis. Sed haud dubie eſt nomen alicujus Judæi tunc noti proprium, ut monuit Scaliger vel Ivo in loc. Cont. Tit. Apelles, Apellas, Apella idem nomen eſt, ut Achilles, Achillas, Achilla. Leoni-

des, Leonidas, Leonida. P. 186. *ut unitas facta sit:* est & apud Columellam lib. XI. cap. III. *inter se implicantur & qvasi unitatem faciunt.* Et lib. XII. cap. XXII. Cum Salmasio jam ante triennium sermo mihi de te fuit meritis tuis & amicitiæ nostræ congruens Divione in Heduis: nunc qvoqve aurem ei pervelli in proximis de opere tuo. Faciam idem apud Vossium vel per literas vel coràm. Nunc in Livio toti sumus, qvem sub prælo habent Elzevirii nostra cura plus mille locis (sine figura loqvor) emendatiorem ex MS. optimæ notæ, qvos ingenti labore in Anglia, Gallia, Italia contuli. Salmasius vexatur podagra, & tamen duo præla qvotidie exercet: eo nunc est in respondendo, qvàm esse solet, pigrior. Vossius nuper edidit Dissertat. geminam: de Jesu Christi genealogia, & de annis, qvibus natus, Baptizatus, mortuus idem Servator noster. Habeo paratos tres novos multo accuratiores libros Observationum; sed de illis nunc edendis cogitare Livius & Notæ in illum Rom. Historiæ Principem non sinunt.

Vale, Vir Clarissime, & me ama. Daventriæ a. diem tertium Pentecostes cIↄ Iↄc XLIV.

EPITA-

EPITAPHIUM
JOANNIS RHODII DANI

ex

Libr. VIII. Carm. XXXVI.

Thomæ Bartholini.

Dania me genuit, famam ſuper æthera Pallas,
Et tumulum membris urbs Patavina dedit.
Hactenus exilio patriam mihi ſponte negavi,
In cœlis patria eſt proſpicienda mea.

Venerando Parenti

D. THOMÆ BARTHOLINO

Cl. Rhodium de Ponderibus & Menſuris edenti.

Excreſcit famæ pondus, dum pondera ſcribis,
Et tua menſuras tempora nulla ſciunt.

Thomas Bartholinus
Junior.

VA1
1541

X